



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Synopsis Magnalium Divi Iosephi Pars Tertia Divus Iosephus in Gloriâ,
omnium in vitâ & morte Proto-Patronus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500



SYNOPSIS MAGNALIUM
 DIVI IOSEPHI
 PARS TERTIA.
 DIVUS JOSEPHUS IN
 Gloriâ, omnium in vitâ & morte
 Proto-Patronus.

I.



IC titulus unum
 dicit explicitè,
 alterum impli-
 citè: Explicitè
 dicit patrociniũ,
 seu intercessio-
 nem Divi Jose-
 phi, & quidem

primam ac summam: Implicitè ejus
 cultum seu invocationem, & hoc qui-
 dem prius, illud posterius. Certum
 enim est ideò Sanctos pro nobis pa-
 trocinari, pro nobis apud Deum in-
 tercedere, & impetratos à Deo favores
 nobis deferre, quia à nobis invocantur:
 quamvis non negem etiam nõ invoca-
 tos pro nobis frequentissimè Patrem
 misericordiarum orare, nobisq; opitu-
 lari ex intensissimâ ac propensissimâ
 suâ in genus nostrum, cujus aliquando
 pericula subierunt, necessitates experi-
 unt, & labores exantlaverunt, chari-
 tate & cordialissimâ compassione.

II.

His verò duobus, patrociniò scilicet
 seu intercessione, & cultu seu invocati-
 one continetur tota materia, quæ est de
 honore Sanctorum, seu de ipsorũ glo-

riâ extrinsecâ, illa scilicet quam à nobis
 recipiunt, & quam apud nos habent,
 cujus tamè tota utilitas in nos redundat.

Sed hæc extrinsecâ gloria præsup-
 ponit intrinsecam, quæ in ipsis est,
 quam à Deo ipso remuneratore acci-
 piunt, & à quâ propriè Beati sunt:
 nam ideò à nobis invocantur Sancti,
 ideò ad illos in necessitatibus pro ope
 & auxilio recurrimus, & illi pro no-
 bis intercedere & opem ferre possunt,
 quia æternâ beatitudine, quæ in Dei
 possessione consistit, perfruuntur sicut
 verò illa gloria, quam à Deo accipiunt,
 præsupponitur ad illam quam nos ip-
 sis deferimus, ita oportet ut illa sit ex-
 emplar, regula, & mensura hujus,
 idest oportet ut ille Sanctus qui plus à
 Deo honoratur, plus etiam à nobis ho-
 noretur, qui plus gloriæ à Deo accepit,
 plus etiam à nobis accipiat.

III.

Cùm ergo tota gloria externa San-
 cti Josephi, ut aliorum Sanctorum
 constet ex duobus istis, intercessione
 seu patrociniò, & cultu seu invocati-
 one, ita tamen ut intercessio præsup-
 ponat invocationem & cultum: Et

IV.

O o o 3

hæc

hæc gloria externa præsupponat gloriam internam & inhærentem, idest quam in seipsis habent à Deo acceptam: idè ut cohærenter & ordinatè procedamus, hanc Partem, ut duas præcedentes, in tres etiã Tractatus dissectabimus: In quorum primo, de

eius gloriã internã, quam in se habet Divus Iosephus: In secundo, de eius invocatione & cultu qui est Pars prima gloriæ ejus externa: In tertio, tandem de ejus paticinio & intercessione; ejsdem gloriæ externæ parte alterã.

TRACTATUS PRIMUS.

De Gloriã Divi Josephi internã & inhærente.

V.

Siquando Lector Candide oculis hausisti prægrandem aliquam Triremem dùm ex regionibus remeans longinquis, auro gemmis, preciosissimisque onusta mercibus, post emersã æquoris spatia immensã, emerisq; grandia à procellis, à syrtibus, à Piratis pericula, portum ingreditur: puta te habere umbram seu ideolam Divi Josephi ad portum gloriæ felicissimè pervenientis. Quantum quæscit gaudium? quæ festivitas? quale tripudium civitati illi ad quam talis, ut supra, Triremis appellit, & omnibus illis pro quibus appellit? Recipitur in portu cum mille acclamationibus, advolant omnes, omnes ovant, omnes exultant, urpote qui de ejus plenitudine quantum cuique fas erit sint accepturi: accenduntur ignes joviales, reboant è propugnaculis tormenta bellica, aliaque mille similia omnes edunt lætitiæ signa.

VI.

Nulla unquam Triremis tam copiosis tam pretiosis onusta gassis, quantum Divus Josephus cœli divitiis: qui tandem exactis longioris vitæ diebus, emenso vitæ mortalis curriculo, appellit ad Portum quietis & Æternitatis: ingreditur in sanctam Civitatem Jerusalem Cœlestem, adquam superatis dæmonis, carnis, mundi illecebris, aditum sibi fecit per grandia me-

rita sua, quibus eum Deus tam abundè cumulavit, quam vidimus duabus Partibus præcedentibus hujus Synopsos. Quale ergo gaudium cœlo talem incolam & civem recipienti? quale nobis, qui de ejus plenitudine omnes prorsus quotquot sumus accipere valemus? sed luxuriantem discursum contineamus, & à generalibus his ad particularia descendentes, videamus ante omnia quid de ejus prodromis, Morte, Sepulturã, Resurrectione, & in Cœlum Ascensione quæ hanc ejus gloriam præcesserunt sentiendum, ut eodem ordine procedat nostra Dissertatio, quo materia ipsa de quã dissertamus.

CAPUT PRIMUM.

De Tempore Mortis Divi Josephi.

STATUTUM esse omnibus hominibus semel mori docet Sacra Scriptura, docet ratio, docet experientia: Scriptura docet, nihil enim in eã hæc veritate frequentius, nihil explicatius. Docet ratio: Cùm enim ita à naturã constituti simus, ut calor & humor pugnaces qualitates mutuo sese conflictu in nobis atterant, oportet ut alterutrã vel utrãque tandem languescere corpus, quod ex eis coalescit, cadat, & vincu-

vinculum animi disrumpatur. Elige quantum poteris, & habe nutritioni alimenta saluberrima, habitationi commodissima loca, exercitationi amplissima tempora, curationi præsentissima medicamenta: te tamen ubique; tecumque mortis semina circumferes. In Paradisum etiam terrestrem, esto peccatum non penetrasset, mors tamen ex istâ qualitatibus intrinsecarum compugnantia pervasisset, nisi fructus vitalis arboris, defectus omnes caloris & humoris arcanâ ac divinâ vi superasset: Idem denique docet experientia, quotquot enim unquam ante nos fuerunt, mortui sunt, moriuntur quotidie ante oculos nostros aliqui ex iis qui nobiscum vivunt, moriuntur ceteri, & ii omnes qui post nos veniunt. *Quis enim homo vivet & non videbit mortem?* à quâ nec Deipara, nec Christus ipse exempti fuere? Quid ergo certius? quid clarius hæc veritate, (*omnes moriuntur*) quæ tantis firmatur munimētis? quæ omnibus mundi facibus majoribus colustratur? sacrâ scilicet Scripturâ, quæ fidelibus sufficit. Ratione, quæ sapientibus satisfacit. Experientiâ, quæ etiam stupidos convincit. Propterea hic non inquirimus an Divus Josephus, tam eximius, ut hæcenus vidimus, sit mortuus, sed supponimus ut rem indubitatam.

I. Neque mors tam deformis est, quàm depingitur, ut ea tantum Virum non decuisse videatur. Iniquis tantum horrenda est, quorum finis æternus interitus: at justus moriens aspicit mortem, non ut vitæ, sed ut mortalitatis suæ finem: mors ergo D. Josephi omnium iustissimi, fuit, non vitæ, sed mortalitatis expoliatio, & transitus ad veram vitam.

III. Comparatur in Sacrâ Scripturâ mors Iustorum somno ob varias rationes: tres tamen mihi videntur præcipuæ & maximè propriæ. Prima, quod Viri Sancti beatæ fiduciâ Refurrectionis & immortalitatis erecti, non soleant magis mortem exhorrescere aut averfari, quàm viator lassus, vel operarius somnans. Hinc Reginaldus Cardinalis Polus apud Spondanum anno 1537. cum audisset quod Henricus Angliæ Rex, caput suum aureorum millibus quinquaginta addidisset, mi-

rari se dixit Henricum talia statuentem: cum cæde suâ, quàm tanti astimabat Henricus, non magis sibi nocitorus esset, quàm qui cubitum concessuro vestes detraheret.

IV. Secunda ratio, quod æquè facile, immò multò facilius sit Deo excitare mortuos, quàm à nobis dormientes expergeant: Propter quod Scriptura dum de hac excitatione à morte loquitur, his utitur verbis. *Multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt, &c. Lazarus amicus noster dormit, eamus & excitemus eum.* Et Christus à se ipse mortem excutiens ait: *Ego dormivi & soporatus sum & exurrexi.*

V. Tertia ratio, quia sicut ex somno vegetiores exurgimus, ita ex morte vivaciores relurgemus, sanitatis labem viriumque deinceps decremētā non sensuri. Corpus emortuum ponitur in sepulchro, sed sicut granum frumenti in sulco. Granum frumenti in sulco reviviscit & exurgit pulchrius ac copiosius, ita & cadaver iusti ex sanguine pullulabit quatuor divinis dives dotibus, immortalitate, agilitate, subtilitate, claritate.

VI. Mortem ergo Divi Josephi non negantes, sed & indubitatam supponentes, eam his quæ modò tetigimus circumstantiis, aliisque privilegiis, ut omnium mortalium iustissimi, adornatam ostensuri, à tempore quo illam obivit incipimus, id est quando, quæve illius ætate ea contigerit ante omnia inquirimus.

SECTIO PRIMA.

Quandam mortuus Divus Josephus? an ante, an post Christum Filium suum?

VII. Discrepant hic inter se Authores, & abeunt in tres diversas sententias. Alii volunt non diu post annum Christi duodecimum, è vivis excessisse, ita Divus Epiphanius hæc. 78. Sanctus Vincentius Ferrerius serm. de Sancto Joseph. Ubertinus à Catalia lib. de arb. vitæ. Baronius ad annum Christi 12. Petrus Comestor & alii. Hoc unum fundamentum est duplex: Primum, quod aliqui illorum Divum Josephum feniculum

seniculum fuisse putant, quando duxit Deciparam, ut Divus Epiphanius qui arbitratus est fuisse octogenarium: Alii adhuc seniores. Secundum fundamentum est quod ab illo Christi anno, nulla amplius fit mentio Divi Josephi in Evangelio.

VIII. Alii è contra volunt Christo supervixisse, cujus opinionis fuit D. Cyprianus ser. de Passione post med. & ante finem: citantur etiam pro hâc sententiâ D. Ambrosius lib. de Inst. Virg. c. 6. & in Lucâ c. 23. & Arnoldus Abbas tract. 7. de verb. Dom. ad illa verba Christi in Cruce pendentis ad Matrem; *Mulier ecce filius tuus*: trahitur etiam in hanc sententiam à nonnullis, Divus Augustinus serm. 81. de tempore, qui est serm. 2. in Feriam sextam post Dominicam secundam Quadragesimæ, ubi sic ille. *Vidit Joseph aliud somnium, quod Sol, Luna & Stelle undecim adorarent eum: cui respondit Pater suus. Nunquid ego & Mater tua, & Fratres tui adorabimus te super terram? Hoc in illo Joseph impleri non potuit, quia jam Mater ejus ex hac vita migraverat: in nostro vero Joseph, id est Domino IESU Christo, somnis illius Sacramenta completa sunt. Sol enim & Luna & Stelle undecim eum adoraverunt, quando post Resurrectionem Sancta Maria quasi Luna, & Sanctus Joseph velut Sol, cum undecim Stellis id est Beatis Apostolis, incurvati & prostrati sunt ante eum, & impleta est Prophetia illa, quæ dixerat, Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes Stelle & lumen.*

IX. Hujus secundæ sententiæ fundamenta quoque duo esse potuerunt: Primum eruitur ex Divo Cypriano loco citato. quod scilicet ideo supervixerit D. Josephus Christo, ut traditæ per Christum in Cruce moribundum Joanni Discipulo Matre suâ dilectissimâ in custodiam, ad exclusionem D. Josephi adhuc viventis, constaret ipsum non fuisse reapse Virginis Maritum & Patrem Christi, ut eatenus reputatus fuerat. & necessario debuerat ad Mysterii Redemptionis consummationem. Ita enim loco citato Divus Cyprianus. *Considero te Christe in Cruce de Matre sollicitum, cui volenti loqui tecum cum evangelizares, negaveras retroactis die-*

bus colloquium, & pratuleras Matri auditores verbi, pauperes spiritu, dicens eos tibi esse pro Matre & Fratribus, qui voluntati Patris obtemperant: nunc mater. no moveris affectu, & thalamum hamanitatis tuæ Cubiculario dilecto commendas, & provides sedulo benedictæ inter matres. res Apostolicam clientelam, & obsequium Virginis Virgini discipulo tradis, ut jam non Joseph tanti ministerii oneretur prepositura, sed Joannes, quia jam exigebat ratio ut cõjugii removeretur opinio. nec ultra Pater Christi assumeretur, qui eatenus vocem Patris & Conjugis tenuerat: habebat Joseph in hâc Christi dispositione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum: sed quia in spiritu actum erat conjunctionis illius mysterium, passus est Joseph æquanimiter sibi eum in hoc servitio præponi, quem digniorem se judicabat, ideo maxime quia Magistrum electio sic negotium ordinabat. Huc usque Divus Cyprianus.

Secundum fundamentum hujus secundæ sententiæ est, quod ideo Divus Josephus Christo supervixerit, ut istâ ratione potuerit esse unâ cum Sponsâ suâ Martyr Calvatii Montis, quo honore & merito ipsum privari non debuisset volunt. Neoterici hujus sententiæ authores.

XI. Sed inter has duas extremas sibi quæ invicem oppositas sententias alia est media hodie quæ communissima, quæ censet nec tam citò, nec tam tardè mortuum, sed circa illud tempus quo Christus cepit se manifestare ad homines suscepto Baptismo, & collectis in opus Evangelii Discipulis: hæc sententia meo videri indubitata est, solaque nunc ab omnibus reputata vera.

XII. Quod non sit mortuus tam citò id est non diu post annum Christi duodecimum, ut vult prima sententia, probatur primò, ex Luc. cap. 2. ubi narratur, quod cum Puer IESUS factus annorum duodecim remansisset in Jerusalem, id non advertentibus parentibus Divo Josepho & conjugè, ab eisque post triduum fuisset inventus in Templo in medio Doctorem: interrogationibus & responsonibus absolutis, descenderit cum eis Nazareth, & erat subditus illis, vers. 51. ubi præteritum

tum illud, *Erat*, cum sit Imperfectum, ut loquuntur Grammatici, significat rem non tam citò perfectam & finitam, sed illius continuationem & durationem.

- XIII. Probatur secundo, ex eo quod Christus apud Evangelistas dicitur à Judæis, *Faber & Fabri filius*, eo quod scilicet artem Patris sui Josephi exercuerit, eique inservierit in fabrilis exercitatione, ut explicat Divus Augustinus Serm. 81. de Tempore: non ergo tam citò mortuus Divus Josephus, cum id non potuerit Christus nisi adultus, & magis in ætate provectus.
- XIV. Probatur tertio, si penitus inspiciamus rationem divinæ dispositionis in electione Divi Josephi circa Christum, & illius curam ei cælitus commissam, videtur omnino fuisse necessarium ut viveret usque ad tempus manifestationis Christi, quæ cepit ab ejus baptismo, & vocatione Apostolorum: quia cum non conveniret Christus pro fabrilibus, quibus se domi exercebat (cùm à Judæis dicitur Faber) hominibus commiseri, oportuit ut dum ipse domi operabatur Divus Josephus foras exiret pro iis operibus quæ egressum postulabant: si enim Judæi Jesum quamvis latuerat, despiciabant tamen ob fabrilium, ita ut diceret, *Nonne hic est Faber & Fabri filius?* quid fecissent si promiscuè talis apparuisset? his addo quod non erat tam senex D. Josephus anno Christi duodecimo, cùm certum sit ex dictis, Part. 2. Tract. 1. cap. 14. sect. 3. congruè ætate Virginem duxisse.
- XV. Quod etiam non viveret amplius tempore Passionis. Probatur primo, quia à tempore manifestationis Christi nulla sit amplius in Evangelio de eo mentio, intervenientibus tamen, multis occasionibus faciendi sitamdiu vixisset, quandoquidem toties sit mentio etiam de fratribus & cognatis Christi.
- XVI. Probatur secundo, quia post vocationem Apostolorum nuptiæ factæ sunt in Canà Galilææ, ad quas dicitur vocatus & Jesus & discipuli ejus, Joan. cap. 2. eratque etiam ibi Maria Mater Jesu, ut patet ex textu Evangelii: jam sic argumentor, fuit ad istas nuptias

vocatus Jesus, & Mater ejus, vel ob devotionem, vel ob viciniam, vel ob cognationem, & discipuli ejus ob ipsius Christi considerationem. Si ob cognationem certè & Divus Josephus cum illis vocatus fuisset si adhuc fuisset in vivis: si ob devotionem, vel viciniam, cum discipuli ob ejus considerationem vocati fuerint quanto magis fuisset Divus Josephus si vixisset? quod si & is quoque vocatus fuit, cur illum tantum tacerent Evangelistæ; signum est ergo manifestum nec illis adfuisse, nec amplius in vivis fuisse.

Probatur tertio, quia in præsentatione Christi in Templo expletis purificationis diebus, postquam benedixisset Mariæ & Josepho senex & justus Simeon, utpote qui agnoscebat utriusque propter istum filium sceleritatem: Futura in Spiritu prævidens, prædixit Virgini quod aliquando animam ejus doloris gladius esset pertransiturus, scilicet in Passione Christi, non verò Divo Josepho: Quare hoc? nisi quia tunc quoque prævidebat, quod tunc D. Josephus non esset amplius ut Virgo in vivis futurus: si enim secus futurum fuisset profectò qui de ejus amissione in Jerusalem ita anxius fuit & doluit, ut eum sibi Deipara quoad hoc conjungere non dubitaverit, & tunc cum Virgine doluisset, & prædilecti filii sui tormenta & mortem in animâ suâ per compassionem sensisset: Consequenter Simeon eum in suâ prædictione ab uxore non separasset, quem ei in benedictione conjunxerat; qui cum secus fecerit, signum est eum prævidisse Josephum isto tempore non amplius futurum in vivis, ut in suâ animâ istum doloris gladium perferiret.

Probant alii quartò, quia si Divus Josephus tamdiu vixisset, proculdubio Christo filio suo in Cruce morienti adfuitisset: cùm alii non ita in ejus amore ferventes ut ipse, ad stare non timerint, ac consequenter Christus non alteri quam illi moriens Matrem suam commendare voluisset: atqui non illi sed Divo Joanni discipulo, quem diligebat, Matrem suam tunc commendavit: non ergo tunc Divus Josephus aderat, consequenter non amplius in

P p p vivis

vivis erat : ita ferè inter alios noster Sylveira Tom. 2. in Evang. l. 4. cap. 1. quæst. 9. num. 37.

XIX. Hoc argumentum quoad primam suam partem convincit, sed quoad secundam non placet mihi ut placet multis qui in hâc Sententiâ nobiscum conveniunt dicam enim, & solidissimè quidem, etsi fuisset vivens Divus Iosephus & ibi præfens, nihil illi derogatum fuisset per hoc quod Divo Joanni, commendata esset à Christo Deipara : Commendata est enim Divo Joanni, ut ipse pro Christo esset filius & nihil aliud, ut patet : per quod non impediebatur Divus Iosephus, quin ut Sponsus & conjux posset erga Beatam Virginem uxorem suam, quod potuit etiam dum ipse Christus ejusdem Deiparæ filius legitimus & naturalis vivebat : nec per hoc ullo modo excludebatur Divus Iosephus à qualitate Sponsi Deiparæ, quis contrarium dixerit? Sed dabatur Virgini Joannes filius adoptivus in locum Christi filii naturalis, & ut seni Iosepho adjutorio esset, & ut eo moriente tanquam illi suffectus, totam Deiparæ clientelam sibi demandatam sciret.

XX. Probatur ultimò, à convenientiâ; cum enim Christus Dominus ut privatus homo domi latuisset, adveniente tandem tempore, à Deo præordinato manifestationis suæ ad homines, quò operibus admirandis ostensurus erat, & probaturus se filium Dei, non conveniebat ut deinceps Pater ejus terrenus sub hominum oculis versaretur, quare hic è mundo subductus est & sine dubio circa tempus illud, quo Christus se manifestaturus erat hominibus.

XXI. Ad fundamenta primæ Sententiæ, Respondeo ad primum nequaquam verum esse quod D. Iosephus fuerit tam senex quando duxit Beatam Deiparam in matrimonium, hocque multis refutavimus in superioribus Part. 2. Tract. 1. cap. 14. per totum. Quoad secundum fundamentum, Respondeo; cum ab illo Christi anno duodecimo usque ad prædicationem Baptistæ, filium historiae vitæ Christi abruperint Evangelistæ, nec de Virgine aut Divo Iosepho loquantur nisi relativè ad Christum, non mirum cum de illis quæ to-

to isto tempore, idest ab anno 12. usque ad tempus manifestationis suæ ad homines gesserit Christus nihil dixerint, nihil etiam amplius locuti sint de Divo Iosepho, ut nec de Virgine.

Ad fundamenta secundæ sententiæ, Respondeo primò Divum Cyprianum non asserere, nec probare quod Divus Iosephus adhuc viveret quando Christus in Cruce Matrem Discipulo commendavit, sed tantum supponere: cum ergò hoc punctum non ex professo tractet, consequenter non examinaverit Divus Cyprianus; probetur autem ab aliis Patribus, & Doctoribus, qui rem istam ex professo & seriò examinarunt & tractarunt, nostra in hoc puncto sententia, idè hanc illi præferendam nemo prudens non judicabit. Respondeo secundò, idè Divum Cyprianum supponere Divum Iosephum tunc vixisse, ut ex eo quod Christus ipso relicto Matrem suam moriens Joanni commendavit judicemus ipsum non fuisse verè ejus Patrem & Matris Conjugem, sed eò usque tantum fuisse vocatum Patrem. Sed contrarium constat ex dictis de utraque hâc qualitate supra Parte 2. Tract. 1. & 2. ergo &c. Deindè etsi Divus Iosephus tunc vixisset, non ea tamen exinde emergerent contra utramque istam qualitatem, quæ in illo discursu contexit Divus Cyprianus ob commendatam Joanni à Christo Matrem, ut patet ex illis quæ mox diximus numer. 19.

Quoad Divum Augustinum malè trahitur in istam sententiam: nam etsi ut in Christo Domino somnia Iosephi Sacramenta complerentur, illa adratio fieri debuisset post Resurrectionem, quod non, ut constat, potuit Divus Iosephus Christo à mortuis resurgente resuscitatus, unâ cum Mariâ & undecim illis stellis spiritualibus, idest Sanctis Apostolis, ante IESUM redivivum incurvari & prosterni. Et in hoc nulla difficultas.

Nec vellicantur Divo Iosepho, ut putant, hujus sententiæ Authores Neoterici dum aliam à Divo Cypriano viam ineuntes hoc adstruunt, ut ipsum faciant Calvarii Martyrem, sed econtra. Si enim Divus Iosephus supervixisset

set Christo, cum nullam Evangelistæ faciant ipsius mentionem in totâ historiâ Passionis, fecerint autem tor aliorum, nec appareat cur eum potius quam tor alios tacuissent si adfuisset, videretur potius concludendum contrarium contra Divum Iosephum, quod scilicet non adfuerit Christo patienti: sicque sequeretur quod ipse solus inter omnes, Christum tunc deseruisset: quod vel cogitare impium, imò insanum, quomodo enim is qui eo perditio ita anxius fuit, & cum tanto dolore requisivit, postquam tor annis in ejus scholâ & convictu proficisse debuisset ad mortem pro suâ omniumque salute properantem deseruisset, quem mulieres in ejus scholâ novitæ, & ipse Ioannes ejus Discipulus solum hesternus secuti sunt, & cui in Cruce morienti adfuerunt? Itaque melius nos concludimus pro nostrâ sententiâ, quod Cruci cum reliquis non adfuerit, quandoquidem hujus nullam fecerint Evangelistæ mentionem. Atque adeo quod tunc pro certo mortuus erat, aliâs enim adfuit.

XXV. Nec deerit hic Flos Auteolæ Divi Iosephi, si dicamus ipsum esse mortuum ante Christum Filium suum: non enim ille ut alii, unâ vel alterâ horâ corpore Christo patienti adfuit, & ejus suppliciis, pœnis ac doloribus participavit, sed à Christo nato usque ad mortem suam, maximè verò à Circumcisione, quando imponendo ei nomen JESU, cujus significationem ex Dei revelatione penetravit, eum morti, per quam Jesus in effectu futurus erat, idest Salvator Mundi, adjudicavit, & quasi in Cœlestis Decreti executionem eum circumcidendo, primas ipsi sanguinis guttas elicit, ut diximus supra.

XXVI. Sunt alii flores ii que selectissimi qui in nostrâ sententiâ eidem Divi Iosephi Serro innectuntur, necessariò ab eo detrahendi in illorum sententiâ qui dicunt Christo supervixisse. Nam si Christo supervixit, ergo non fuit unus ex illis Sanctis, quorum corpora resurgente Christo resurrexerunt, & apparuerunt multis, Matthæi cap. 7. vers. 52. & 53. Ergo absolutè

non resurrexit, unde enim hoc probaretur.

SECTIO II.

Quâ Etate mortuus est Divus Iosephus?

Quo Etatis suæ anno vitam hanc mortalem finierit Divus Iosephus, magnum apud Evangelistas, Sanctos Patres, aliòque Historicos, & Authores altumque silentium, hinc difficultas hanc quætionem dirimendi. Sed res hæc est valde exigui momenti. Quid enim refert an quis plenus dierum mortuus fuerit, modò fuerit plenus meritorum? *Senectus enim* (inquit Sapiens Sapient. cap. 4.) *venerabilis est non diturna, neque annorum numero computata: Cati autem sunt sensus hominis, & atas senectutis vita immaculata.* Tum deinde idem. *Placens Deo factus est dilectus, & consummatus in brevi explevit tempora multa.* Quæ cum ita sint, paucis rem hanc absolvemus.

Qui volunt Divum Iosephum quando duxit Virginem fuisse octogenarium, eoque majorem, & mortuum non diu post annum Christi duodecimum, ut Divus Epiphanius Sectione præcedenti, & alii dicunt fuisse nonagenario majorem, alii ferè centenarium quando mortuus est: Qui verò eum fuisse senem dum Virgini conjugatus est ad removendum violatæ inter illos integritatis suspicionem, & tamen vixisse usque ad Christi manifestationem, quæ fuit circa annum ejus trigesimum, necesse est eum faciant centenarium aut eo majorem.

Sed cum harum exoticarum opinionum fundamentum, sit illa proverbata senectus, quam fingunt in Divo Iosepho antequam conjungeretur Virgini Deiparæ intemeratæ, ad removendum inter eos labefactatæ virginitatis suspicionem, fundamentum verò illud sit nullum, ut constat ex dictis supra Patre 2. Tractat. 1. cap. 14. ruunt consequenter præfatæ duæ opiniones ei superædificatæ.

Sed quid nos in tantâ caligine ob Scripturæ, Patrum, Authorum eâ de

Synopsis

Magnalia
D.
Iosephi

re silentium? Dico probabile esse mortuum circa annum vitæ suæ septuagesimum, Probatur ex supputatione Augustini Tornicelli, qui asserit ipsum natum Imperii Octaviani Augusti anno secundo. Atqui Christus juxta magis receptam in Ecclesia opinionem, & propterea à Gregorio Papa XIII. approbatam, & Martyrio Romano, quo solo utitur in Officio Divino Ecclesia insertam, natus est ejusdem Imperii anno quadragesimo secundo: ergo tunc Divus Iosephus erat quadragesima circiter annorum. Iam verò manifestatio Christi ad homines (circa quod tempus ex dictis Sectione præcedenti mortuus est Divus Iosephus) cœpit ab ejus Baptismo, & dum baptizatus est Jesus erat incipiens quasi annorum triginta Luca cap. 3. Ergo Divus Iosephus mortuus est circa annum ætatis suæ septuagesimum.

XXXI. Probatur secundò hoc nostrum asseritum ex iis quæ diximus supra Parte 2: Tract. 1. de Ætate Divi Iosephi quando duxit Virginem uxorem, quibus fulcitur opinio Tornicelli: Ex dictis enim ibi, & his quæ hoc Capite Sectione præcedenti probavimus de tempore quando mortuus est Divus Iosephus, colligitur satis clarè cum abiisse ex vivis circa septuagesimum vitæ annum, circum circa.

XXXII. Confirmatur, quia cum magnâ probabilitate & valdè rationabiliter dici potest de Divo Iosepho, ut Christi Patre, quod compleverit dies vitæ hominis ordinarios, ut scilicet possit dici plenus dierum & meritum. Sed dies vitæ hominis ordinarii sunt septuaginta anni, idest circum circa juxta Regium Prophetam Psal. 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor* Nec apparet ratio cur Deus qui ponit vitæ terminos, vel ab illis detraisset, vel ad illos addidisset pro Patre suo, maxime quod circa eandem etiam ætatem mortua communiter censeatur Deipara; sint autem rationes cur nec citius quia Christo fuit necessarius usque ad trigésimum nec etiam ultra vivere debuerit. Vide dicta Sectione præcedenti, num. 20. ergo huic potius Sententiæ

standum quam aliis.

Ad finem hujus capituli duo monenda habeo: Primum, mortuus est Divus Iosephus homo tantus, sicut & alii omnes: Consideremus ergo & hoc semel benè apprehendamus nos quoque morituros. Nihil ad vitam christianam rectè peragendam utilius, justius nihil, mortis memoriâ. Propterea & illam nobis Deus frequenter objectat, & è contra dæmon oblivionem ejus maxime curat. Hinc ne Adam peccare dixit ei Deus Genes. cap. 2. *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris, dæmon verò è contra, nequaquam morte moriemini*, Genes. cap. 3.

Quod primis parentibus hoc dæmon suadere potuit non adeò mirandum; hi enim necdum mortem viderant. At verò nobis, qui quotidie illam in aliis videmus, & nos ipsos ad illam appropinquare sentimus, deficientibus sensim corporis viribus, quo pacto idem suadere potest? suadet tamen, & quomodo primos parentes, ita filios decipit, sed alio modo: illis enim, qui nullam mortis habebant experientiam, omninò suavit illud, *nequaquam moriemini*. Nobis verò, quibus propter rei evidentiam id suadere non potest, aliter suadet: suadet enim quod hodie non morieris, quod hoc anno vives, sequenti die & anno idem, & sic in posterum, quod simul & semel ingerere nequit, in partes divisim deglutire facit, & sic semper ita vivis, ac si nunquam moriturus.

Secundò, monendi sunt incauti, qui sub prætextu quod dies vitæ hominis ordinarii sunt, ut diximus ex Regio Prophetâ, septuaginta anni (quos ideo dedimus Divo Iosepho) eos sibi promittunt non attendentes quanti sint juvenes qui putabant se diu posse vivere quibus contigit, quod non cogitarunt, citò mori: qui dum adhuc ordirentur succisi sunt, præcisâ scilicet à Deo velut à texente eorum vitâ.

CAPUT

CAPUT II.

Quomodo mortuus Divus Josephus?

- I. **C**APITE præcedenti explicavimus quantum fieri potuit in re obiturâ, quando quotove vitæ anno mortuus est Divus Iosephus, hinc videndum quomodo mortuus sit: id est quæ mors ipsius mortalitatem absumperit, exhausta?
- II. Mortem ipsius beatissimam, fuisse in conspectu Dei preciosissimam, & cum amore divino conjunctissimam, quis nisi impius vel insanus inficias ibit? aut etiam in dubium revocabit? sed nobis hinc inquirendum ulterius quomodo, quæve ratione mors illius cum amore divino conjuncta fuerit?
- III. Sanctus Franciscus Salesius Gebennensis Episcopus lib. 7. de Amore Divino cap. 11. 12. & 13. distinguit genera tria mortis cum amore divino conjunctæ: Primum, cum quis moritur in amore Dei, seu habituali, seu etiam actuali: Secundum, cum ob amorem Dei: Tertium, cum ex amore Dei: & hoc ultimum cæteris præstantius.
- IV. Primo modo mori, id est in amore Dei frequentissimum est, & omnibus electis commune: in eo mori omnino necessarium, aliàs actum est de nobis in æternum, si de amore habituali sermo est: si verò de actuali amore, multis Sanctorum etiam in eo expirare contigit, Moyse imprimis, ait enim de illo Scriptura, Deuteron. cap. ult. vers. 6. *Mortuus est Moyses in terrâ Moab jubente Domino: pro avo alia ver- sio habet, Mortuus est Moyses in terrâ Moab in osculo Domini, quasi osculans Dominum, & osculatus à Domino.* Divo Oswaldo, qui in istis vocibus, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, expiravit; Divo Ludovico Francorum Regi, qui in illis, Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Ex Clitoveo in ejus vitâ. Divo Francisco Assisiani, qui in illis Psalmi 141. *Educ de custodia*

animam meam ad confitendum nomini tuo, me expectant justi donec retribuas mihi, ex Divo Bonaventurâ in ejus vitâ. Divo Alberto Carmelitæ qui cum horâ vespertinâ transitum suum imminere cognosceret, è paupere strato suo surgens humi genuflexit, erectisque in Cælum oculis psalmum In te Domine speravi, recitans efflavit animam ad illa verba, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, ex nostro Baptista Mantuano in ejus vitâ: Hi omnes plurimique alii consimiliter vitam in sanctitate exactam, heroico summæ virtutis actu concluderunt.

Secundo modo mori, id est ob amorem Dei, contigit Sanctis Apostolis qui ob amorem Dei horrenda supplicia constantissimè pertulerunt, & vitam cum sanguine prodegerunt: consimilemque necis causam Divum Ignatium Patriarcham Antiochenum Apostolorum discipulum & coævum; Sanctum Laurentium, omnesque Martyres habuisse plerique existimant.

Tertio modo mori, id est ex amore Dei est paucorum: isto mortua est Beata Ceipara, ut docent SS. Patres: isto mortuus est Divus Philippus Nerius Cõgregationis Oratorii fundator Sanctissimus, costis diligendo Deo diffractis, ex Cardinali Bæonio ipsius spiritali filio: isto mortua Ter Magna Heroïna Seraphica Mater Theresia, quæ, ut ait Sac. Rit. Congregatio in Lectionibus secundi Nocturni pro ejus Festo, *Intolerabili divini amoris incendio, potius quam vi morbi, Abæ cum decumberet suo specie columbæ, purissimam animam Deo reddidit.*

Mortuum Divum Josephum in amore Dei non tantum habituali, sed etiam actuali clarissimum est: habituali quidem, quia plenissimus gratiâ, ut constat ex dictis in toto hujus Operis decursu: actuali verò, quia longe felicis, multoque singularius quam Moyse mortuus est osculans Jesum Filium suum prædilectum sibi: tunc cum Mariâ præsentem, vicissimque ab eo osculum recipiens. O mortem beatissimam!

Mortuum ob amorem in effectu dicere non possumus, certam enim est

licet pro Christo multa pertulerit, vitam tamen cum sanguine pro eo non effudisse: verum in preparatione animi millies ita mortuum, negare nemo potest, qui bene ea perpenderit quae in superioribus protulimus ad pondus sanctuarii librata appenderit.

IX. Restat expendendum an etiam ex amore divino obierit. Esto de hoc altum sit apud Patres, & Sacrae Scripturae Interpretes, aliosque Auctores, silentium, & omnes Divi Josephi Encomiastae praetereant genus mortis quam obiit praecipuus ille Cultor Amoris Dei, illud profecto indubitatum arbitror nulla corporis infirmitate praecedente, sed ligato corde amoris incendio defecisse. Cum enim ut amantissimus Pater IESU per vitam omnem arsisset amore divino, quid reliquum fuit exacta amate, quam ut fortis esset in illo ut mors dilectio, & sicut mors ipsu occideret? Animam illam amore revera decoratam, ut constat ex dictis Parte 2. Tractat. 3. cap. 10. & 11. Mors decebat congrua plane vitae, hoc est ex amore, ergo cum summo vivendi ritu ævum suum exegerit Sanctus ille amor Dei conspicuus, morte cuius amor esset conficiendus debuit feriem vitae concludere, ut sic vitae amore in Deum in paucissimis insignis, exordium, tenor, & exitus concordarent.

X. Et verò, quod genus mortis aliud Divo potuisset contingere Iosepho? Morimur omnes, vel quia vis nobis externa infertur, vel quia morbus ingruit, vel quia naturæ vigor sensim extinguitur, vel quia vehementes passionum motus sanguinem alterant: Passionum inordinatarum motibus D. Iosephus cœcuti nequivit, cui motus omnes erant in pervigili rationis potestate; vide à nobis dicta supra Parte 1. Tract. 3. cap. 11. Temperatissimæ naturæ vigor evanuisse non poterat anno vitae septuagesimo vel circiter, quod mortuum illum cap. præced. probavimus; cum multò minus temperatorum corporum vitam, citra defectus externi periculum etiam hoc ipso quo vivimus sæculo extendi videamus: morbos compositissima viri valetudo, & prudentissima conversatio, ac victus ratio non patiebatur. Vim externam tum

hominum, tum animalium, tum aliarum rerum in corpora humana incurrentium, arcebat divini cura præsidii, & Angelicæ diligentia custodia. Superest igitur ut ad illum undique præclusum morti aditum amor aperuerit: præsertim cum quæ multis Sanctorum prærogativa concessa est, Sanctorum Coryphæo, Christi Patri amantissimo, denegari non nisi irrationabilissimè possit.

Neque dicas ex Iustiano *Authentica de Triente*, §. *Consideremus*. Rem esse erubescentiâ dignam, sine lege loqui, sequor enim Alciati Tract. de *Presumpt. regul. 2. consilium suadentis, ut ad conjecturas lege tacitè recuratur.*

Fortè instabis Mariam potius eo fato debuisse vitæ pati deliquium, ut potè quæ longè fortiori & ardentiori Deum amore diligebat. Respondeo & ipsam eo funere sublatam è medio. Quod autem non prior obierit Maria, cuius amor in Deum erat longè intensior, eo quo Divi Josephi anima conflagravit: Ratio petenda est à Divinâ voluntate, quæ eam amore languentem fulcivit floribus, stipavit malis, ut esset superstes Passioni suæ ad solamen Ecclesiæ suæ adhuc teneræ & imbecillæ; Ioseph autem expletis Officii sui partibus circa Salvatorem, feliciter obiit.

Recogitantur hic ardores, defectus, deliquia, extases Pauli, Francisci, Catharinæ Senensis, Theresiæ, Mariæ Magdalena de Pazzi, & aliorum, cum Divi Josephi amore Parte 2. Tract. 2. cap. 11. Tract. 3. cap. 9. & 10. exposito comparentur, quid sunt illi ad hunc? stellulae ad solem, scintillulae ad fornacem.

Anima Dei amore flagrans patitur deliquium, expertus ait Arcopagita Dionysius, & probat ex Hierotheo, quem vocat divina patientem: Relique in confesso est apud omnes, animam Deo intellectu & voluntate intentam extasim pati, ut de Sancto Paulo Apostolo liquet, & innumeris aliis: Atqui dari potest amor intensior eo, quo Hierotheus Divina patiens propè occubuit. Et hic est amor quo Divus Iosephus incensus, & extra se raptus occubuit. Quemadmodum ergo bombix

suo confusus ergastulo, alarum expers suos patitur cancellos, sed ubi alæ erumpunt, morarum impatiens & captivitatibus, brevioris suo rostro vellicat claustrum, unde evolat, alitem ementitus: ita passus est quidem Divus Iosephus carceres importunos corporeæ compaginis, quæ diu compefecit animam ejus ne aliò transmigraret, sed pubescens ille amor in eum adolevit statum, ut Ioseph tandem spiritus amore incandescens quasi aliger evolarit.

XV. Vel si magis placet unicam illam avem, celebratum dico priscis Phœnicem considera. *Qui*, ut loquitur gravissimus Terullianus lib. de Resurrectione Carnis, & ipsum lubenter fœnerans renovat: natali sine decedens, atque succedens, iterum Phœnix ubi jam nemo: iterum ipse, qui non jam: alius, idem.

Hic in aromaticorum congerie lignorum positus, excipit Solis radios, & inde flammâ exortâ, alisque eventilatâ preciosam ipse sibi mortem facit: ita cum Divo Iosepho agitur, inter fidei, spei, fortitudinis, patientiæ, constantiæ, humilitatis, cæterarumque virtutum odores, compositâ mente, ignes concipit à charitate virtutum sole, seu etiam, si mavelis à presentiâ Filii sui ut Iustitiæ veri Solis adstantis, & à mortali ad immortalẽ vitam quæstiuolo interitu reformatur.

XVI. Ita mortuus est Divus Iosephus. Mori forsân cuperes Christianè ut ille, ex amore Dei, sed hæc mors paucissimorum est: Mori saltem velles ob amorem, sed hæc mors non multorum est: At mori in Amore Divino maximè habituali potes quod omnium electorum est. Porrò ut hoc tibi contingat, ut inquam, moriæ morte electorum, vive ut electus, congruant tui mores tuæ professioni, tuæ actiones tuo nomini, qualis enim vita finis ita: Tandem ut in Amoris Divini brachiis moriæ, vive in devotione Sanctissimi Patris Iesu Iosephi.

CAPUT III.

De Sepultura Divi Iosephi.



OSTRA parùm interesse forte dixeris ubi jaceant corpora animæ & sensus expertia & perinde esse seu humi seu

seu sublime putrescant: hocque sensu aiebat Seneca epist. 92. *Neminem de supremo officio rogo, nullis reliquias meas commendo: ne quis insepultus esset rei um natura prospexit, quem servitæ projecit dies condet: diserte Maccenas ait. nec tumulum curo, sepeliri natura relictos.* Sed hoc Ethnicum iuum sapit, idem sapient omnes qui de statu rerum humanarum post mortem incerti, de immortalitate animæ & corporum resurrectione aut nihil parum credunt.

Verùm sicut hæc extremitas quæ in defectu consistit, quæque incuriam sepulturæ corporum immortalis animæ quondam sedium, illi que aliquando reunendarum laudat fugienda est. Ita altera quæ in excessus est prorsus damnanda: quam etiam damnat Sacra Scriptura 2. Paralip. cap. 16. vers. ult. dum ait Alæ Regis defuncti corpori unguenta meretricia, quæ erant pigmentariorum arte confecta fuisse affusa *ambitione nimia.*

Talis quoque fuit Neronis Imperatoris prodigalitas in funere Poppeæ amoribus simul & facinoribus suis parentantis, qui in ejus corpore condiendo plus incendit aromatis, quàm anno toto potest ferre Arabia. Talis Judæorum ævo Iosephi Judæi, quos ipse carpit, quod exequiarum & sepulturæ sumptus apud eos adeò exerevissent, ut plerumque corpora insepulta relinquerentur, eo quod hæredes ferendis expensis pares non essent.

Laudanda illorum modestia, qui sibi magnifica potuissent ponere sepulchra, humilitatis Christianæ memores, modesta elegerunt: Celebris est inter illos apud nos Retherius ex Leodiensi Episcopo & Principe, ad privatam vitam devolutus mirâ fortunæ varietate, qui sepulturam quidem curavit, sed sepulchro suo id unum inscribi voluit,

Synopsis

voluit, *Conculcate pedes hominum sal infatuatum*. Ita Baronius ex Historiis Leodiensibus ad annum 954. apud Hispanos Ferdinandus Nonnius è primariâ Guſmannorum familiâ totam vitam cœlebs, qui moriens anno 1552. ne nomen quidem suum ſepulchro ſuo incidi voluit ſed hoc ſolum: *Maximum vitæ boni mors*. Ita quoq; innumeri alii, qui licet decenter, modèſtiſſimè tamen tumulari voluerunt: decenter propter fidem immortalitatis & ſpem Beatæ Reſurrecciónis, modèſtiſſimè verò propter virtutem humilitatis.

V. Medium ergo hoc tenendum, ut ſepultura non negligatur more timidorum, nec etiam nimium curetur more tumidorum. Hoc ſemper caverunt omnes omnium ſæculorum fideles, ut conſtat ex innumeris Scripturæ locis, & repetitis ab Abrahamo exemplis, qui Genef. cap. 23. Siclis 400. locum emit ſepeliendo Saræ uxoris ſuæ demortuæ corpulculo. Nominatim pro magno ab Iudeis habitum in terrâ promiſſâ, in ſepulchris Patrum, aut propè Sanctorum virorum corpora, ſua ſepeliri. Ideò Jacob Patriarcha in Ægypto mortuus, adjuravit filium ſuum Ioseph Pro Regem, ne in Ægypto cadaver ejus conderetur, ſed in terram Chanaan transferretur, Genef. cap. 47. cujus exemplum & ipſe Ioseph filius ejus poſtea imitatus eſt, Genef. cap. 50. Ideò Propheta Bethelicus apud oſſa alterius Prophetæ cadaver ſuum reponi voluit 3. Reg. cap. 13. Quare Machabæorum cap. 5. pro inſigni Dei ultione Jaſon Apoſtata, & refuga Legum dicitur patrio privatus ſepulchro.

VI. Mortuo igitur Sanctiſſimo Patre Jeſu Iosepho dum ejus anima in Lymbo Sanctorum Patrum recipitur, ibi expectatura cum reliquis Redemtionem à filio ſuo brevi ſiendam (de cujus approximatione boni novi nuncijs eos certificavit & iustificavit) corpori conjugis & Patris exanguis ſepultura à Virgine Sponſâ & filio deligitur: Quæſtio eſt ibi illa ſepultura?

VII. Iſidorus, Iſolanus relatus à noſtro Gratiano lib. 3. vitæ Sancti Iosephi citat quandam hiftoriam Orientalem, ex quâ aſſerit D. Iosephum ſepultum apud Patrem ſuum Iacob, ob id fortè

quod moris eſſet apud Hæbreos, ut filii ſepelirentur, vel in, vel propè ſepulchrum Patrum ſuorum. Sed tunc potius ſepeliri debuiſſet apud Heli patrem ſuum legalem, eò quod, ut docuimus ſuprà, hic magis cenſebatur Pater ejus, quam ille qui eum genuerat: Secundò, quia hoc non ſolvit quæſtionem, dicendum enim erat ubi erat ſepulchrum Patris Divi Iosephi, ut ſciremus ubi fuerit ſepulchrum filii. Quare cum non ſatisfaciat Reſponſio Iſolani, aliam quæramus.

Communis eſt opinio eſſe in Valle Iſaphat. Sed Pater Bollandus ſive Papebrochius in actis 55. menſis Martii tomo 3. in Sancto Iosepho § 2. diſputat de modo quo in Valle Iſaphat ſepeliri potuit & ita reſolvit. Nec abeſt à verifimilitudine mortem Divi Iosephi ſic fuiſſe divinitus diſpoſitam, ut in illud incidere tempus anni, quo ſecundùm conſuetudinem diei feſti Hieroſolymam adoraturus aſcenderat cum uxore & filio, ut, quod Hæbræis maximè erat in votis, inferri poſſet majorum ſepulchris, ad quæ aliàs tenuis, imò nullius fortunæ homo, non fuiſſet facile ex Galilæâ poſt mortem advhendus: ſunus enim more vulgi parum operoſe curatum fuiſſe nobis perſuademus. Hæc ibi Bollandus.

Ego verò ex hoc probabilius eſſe exiſtimo Divum Iosephum, Mariam & Jeſum ſaltem aliquo tempore antequam inciperet ſe Jeſus manifeſtare mutafſe domicilium, & reliçtâ civitate Nazareth Jeruſalem veniſſe ut ibi habitaret, maximè verò poſt mortem vel exilium Archelai, cum ille ſolus fuerit in cauſâ, cur redeuntes ex Ægypto ibi ſedem non fixerint commodiorem iſtis futuram, maximè propter Religionis exercitium, & Templi frequentationem: tum etiam quia non videtur probabile, quod Jeſus è Galilæâ veniens derepente ſe manifeſtarit, maximè quod a tempore ſuæ manifeſtationis, non amplius fabrilem exercuerit, qui tamen ab Hieroſolymitis ur̄ à Galilæis pro fabro notus, Faber & Fabri filius nuncupatur.

Sed quidquid ſit de hæc controverſiâ, & ſive hoc quod dixit Bollandus volueris, ſive nobiſcum cenſueris, ſive etiam

etiam Nazareth mortuus inde cum aliqua expensâ advehi debuerit certum est sepulturam Divi Iosephi esse in Valle Iosaphat ut docent Beda & alii communiter.

XI. Sed iterum P. Bollandus cum sociis suis nec in ipsa Valle Iosaphat, inquit, fatis liquet de loco sepulturæ: nam ex Quaresmio Sancti Iosephi monumentum juxta scalas per quas ad Virginis sepulchrum descenditur, cum veneratione visitur ex opposito SS. Joachimi & Annæ in peculiari facello: & tamen Adamnanus ita loquitur: In Valle Iosaphat, non longè ab Ecclesiâ Sanctæ Mariæ, Turris Iosaphat monstratur, in qua ipsius Iosaphati sepulchrum cernitur, cui videlicet Turriculæ quædam lapidea domus ad dexteram coheret partem de rupe excisa, & separata Montis Oliveri, in qua intrinsicè ferramentis cavata duo monstrantur sepulchra sine aliquo ornatu, quorum unum illius Simeonis Iusti est, qui infantulum Dominum IESUM in Templo ambabus manibus amplexus, de ipso prophetavit: alterum verò æquè iusti Ioseph Sponsi Sanctæ Mariæ, & Domini Jesu nutritoris. Hęc Bollandus ex Adamnano.

XII. Sed hęc ingentem valde passi sunt Authores hallucinationem quam bene observavit Pater Bollandus, nam Kalendaria Coptica ad 20. Iulii festum Divi Iosephi referunt, & in eo quidem quod est apud Seldenum libro de Synedriis Hebræorum, ad calcem additur Fabri Lignarii: & Isidorus Isolanus 4. part. cap. 9. scriptor ante annos 150. testatur Catholicos Orientis consuevisse eum diem ad nostri honorem Iosephi ingenti cum veneratione agere; quos secutę sunt diu aliqua Ecclesiæ in Italiâ, de quibus Masius in Bononiâ illustratâ. At verò omnes Martyrologi Latini post Adonem, Romanum etiam Martyrologium isto die, hoc est 20. Iulii festum Iosephi Iusti qui in locum Iudæ proditoris unâ cum Matthiâ ad Apostolatam propositus fuit, recolunt: Iosephum autem Virginis Sponsum concorditer ponunt ad decimam nonam Martii. Quare dicendum, quod uti diem, sic & personam confuderunt Orientales illi, & qui eos sequuti sunt:

Proindeque Iosephum illum qui cum Simeone Sene in Domo Turriculæ Iosaphat adjacenti sepultus invenitur, esse Iosephum Iustum cum Matthiâ ad Apostolatam Iudæ Proditoris obtinendum propositum, nostri verò Iosephi Sepulchrum esse juxta Scalas per quas descenditur ad Virginis Deiparæ monumentum, ut aiebat apud P. Bollandum & Socios suos num. præcedenti Quaresmianus.

Confirmatur quia probabilius est XIII. Beatam Virginem dilectissimum suum Conjugem ibi sepeliri voluisse, ubi & ipsa postmodum sepeliri volebat, vel etiam ipsam ibi sepeliri voluisse ubi illum sepelierat, videlicet non longè a charissimis Parentibus suis Sanctis Joachimo & Annâ, ut quomodo in vitâ suâ dilexerant se, ita & in morte non essent separati: At ex omnibus Beata Virgo sepulta fuit in valle Iosaphat, non ad Turriculam Iosaphat, sed ad Scalas ubi adhuc hodie visitur Sepulchrum ejus, ibi ergo Divus quoque Iosephus ejus Sponsus sepultus.

Sed quid rationes quærimus ubi experientia rem probat. XIV. Visitur enim usque hodie ibidem non longè a sepulchro Beatæ Virginis, ac in eadem Ecclesiâ in Valle Iosaphat Sepulchrum hujus Sanctissimi Viri, attestante Venerabili Bedâ de Locis Sanctis tomo 6. Buchardo in Descript. Terræ Sanctæ primâ parte cap. 7. §. 45. quos citat P. Suarez tomo 2. in 3. part. D. Thomæ quæst. 37. art. 4. disp. 21. sect. 2. & Ribadeneira in Florib. Sanctor. 19 Martii in Sancto Iosepho. Idemque testatur R. P. Bartholomæus des Champs Leodiensis ex Ordin. PP. Min. Recollectorum nuper a peregrinatione ad sancta Loca reversus, in Itinerario suo Terræ Sanctæ Gallicè conscripto, cap. 17. sect. 4.

Ut porrò rem totam enucleemus XV. juvat eundem P. Bartholomæum des Champs audire. Vallis Iosaphat, inquit, aliis vallis Regia, aliis verò vallis Iudicij quod in illâ ex Prophetis Joëlis & Ezechielis ultimum Iudicium habendum credatur, non valde distat ab Jerusalem, fortè trecentis passibus, & ad illam descenditur ab Jerusalem per portam Sancti Stephani versus Septentrionem,

ita nuncupatam, quod per eam Sanctus Proto-Martyr transferit dum ductus est ut lapidaretur à Judæis. Sita est inter duos montes, Oliveri unum ad Orientem, & Moria alterum ad Occidentem, eamque mediam præterfluit torrens Cedron. In ipso vallis limine versus Jerusalem est Ecclesia à Sanctâ Helenâ constructa, nuncupata Ecclesia Sepulchri Beatæ Virginis, in quâ post decem passus ab introitu occurrit scala ex marmore albo quadraginta novem graduum habentium viginti pedes in longitudine, duos in latitudine, per quam scalam descendendo in ejus medio ad dextram versus Orientem, invenitur Oratorium seu Capella duobus Altaribus ornata, sub quibus servantur distinctè ossa Sanctorum Joachimi & Annæ Parentum Virginis Deiparæ: Paulò inferius ad levam versus Occidentem alia item Capella similis priori, nisi quod in eâ unicum tantum est Altare structum super Sepulchrum Sancti Iosephi Beatæ Virginis Sponsi dulcissimi: & inferius, in imo scalæ seu graduum crypta, sub cuius Araquæ est major istius Ecclesiæ est Sepulchrum Beatæ Virginis. Ita dictus Pater Bartholomæus des Champs sparsum per caput 17. dicti Itinerarii sui Gallicè conscripti.

XVI. Ibi ergo, ubi hodie adhuc visitur Sepulchrum Divi Iosephi, scilicet paulò post medium istius marmoreæ scalæ, & inter Sepulchra Sponsæ ejus infernè, & Sanctorum Joachimi Soceri & Annæ Socrus suæ supernè tumulatus est Divus Iosephus: sed à quo nisi à IESU dilecto Filio suo? Quis ita unquam honorificè? sed quis ita mirificè? hic enim corpus ejus Sanctissimum in loculum deponens, ei benedictionem suam impertitus est, à quo accepit ut integram & incorruptam permaneret prout de facto pertransit.

XVII. Sacratissimo interim huic Sepulchro quondam exuviarum hujus Sanctissimi Patriarchæ Reconditorio Epitaphium pono non valdè abimile ei quod Rachelis sepulchro. Huic Viri suus Jacob duodecim Tribuum Pater ex Hebræorum relatione superposuit Pyramidem à duodecim lapidibus propter Tribus illas duodecim in eâ

infixis conspicuam, licet enim ab hac non descenderet omnes, omnes tamen ut Matrem quia communis Parentis Conjugem honorabant. Ita nos quoque Divi Iosephi Sepulchro Epitaphium ponamus simile, Pyramidem dico, quæ figura eternitatis est, ad memoriam ejus hic eternam; Triangularem, quia ut omnium Patronus complectitur Hebræos, Græcos, Latinos, insculpto in angulis ejus, angulari lapide Christo ejus Filio, qui fecit utraq; sive tria unum: Esto enim ipse cum non genuerit, honorandus tamen ut ipsius Pater, quia ex Coniuge suâ genitus de tempore Coniugii sui.

CAPUT IV.

De Reliquiis Divi Iosephi.



ANCTORUM Reliquias Defunctorum sancta per orbem terrarum veneratur Ecclesia. Harum duo sunt genera,

Primum, sunt eorum corpora partive corporum, Ossa, Sanguis, Crines ipsi, ac Capillorum segmenta, cum ne illorum unum in terram cadere constet, nisi ex Patris Æterni voluntate. Alterum genus in illis rebus consistit quibus ipsi dum viverent usi sunt, vel quæ eorum contactu aliquid venerationis acceperunt, cuiusmodi sunt vestes, indusia, instrumenta suppliciorum Martyribus irrogatorum, Catena quibus constricti sunt, strophioia, sudaria corpori vel ossibus Sanctorum admota, flores tumulis aspersi, lapides vel etiam pulvis ipse de eorum sepulchris acceptus: nam ut ait Divus Gregorius Nyssenus orat. de Sancto Theodoro. *Pro munere pulvis accipitur.* De his postremis primò; postea de prioribus.

Reliquiarum Divi Iosephi hujus secundæ generis nonnullæ reperiuntur: Inter illas est Annulus quem dedit Beatæ Virgini Sponsæ suæ dum eam sibi desponsavit, cuius possessione Felix se Perusum Civitas Umbriae in Italiâ credit & servat religiosissimè ac cautissimè in summo Templo Sancto Laurentio

Laurentio sacro, in Capellâ aureâ sub undecim clavium firmâ custodiâ, quæ à rotidem Viris Urbis Primariis servatur.

III. Circumferuntur & alii annuli sponfalitii, de quibus postea, sed hic inter omnes famam obtinet firmam, & toto orbe celeberrimam: veritate ejus subsecuta revelatio, revelationem illius subsecuta sine numero miracula, & solida in populo pietatis fructus magis probant, quàm eorum fides per quos est translatus.

IV. Nam qui primus ipsum in Italiam attulit tempore Hugonis Comitis defuncti sæculo undecimo anno primo, fuit quidam ab Hierosolymis Gemmarius qui Clusino cuidam Raynero nomine (ad raura in hoc genere cimelia Romæ cõmenda à Judithâ Hugonis uxore talium deliciarum curiosâ destinato) citra pretium obtulit nobile hoc auctarium supellectilis preciosæ ex Oniche lapide in Palectinâ satis communi tornatum.

V. Donum Raynerius cæteris gemmis ex fide ad Comitissam delatis decennio integro neglectum occultavit: cum unicus filiolus ei moritur, atque in Divæ Multibolæ Aedem illatus ad tumulum tantisper reviviscit, dum quam ob culpam eripiatur Patri, quanti pretii thesaurus apud eum lateat, coram omnibus aperuerit, & rursum placidè se componit ad mortem postquam annulum prolatum à Patre serò pœnitente obtulisset Curioni, & accurrentem ad sonum pulsatarum, nullo trahente campanarum, multitudinem arcendam monuisset.

VI. Crevit sacro pignori reverentia quando haud ita multò post Waldrada sanguinis Regii mulier temerè illud digito inseruit annulari, eumque incurabiliter arefactum reduxit, quæ res in concursu populi contigit dum adhuc Clusi annulus iste existeret, cujus exemplo superiori sæculo cautior alius cui Area ad custodiam ejus consecrâ, cõmittebatur repurganda, Contulus de Cõstalis nomine, profanas ab eo manus abstulit, & Sacerdotem exoravit qui sacro annulum excepit Calice: nec ausus quàmvis rogatus digito explorare magnitudinem, orbiculi figuram molli maluit excipere cerâ: quam de-

inde ceram coxendici admotam idem Contulus, nunquam non expertus est salutarem ischiadi quâ crebrò laborabat depellendâ.

Sed hæc acta Perusi quo non ante annum 1477. delatum hoc pignus eoque Clusini spoliati sunt per furtum (piumne an impium?) Wintherii cuiusdam de Germaniâ Minoritæ, qui statò anni die populo venerabundo annulum exhibiturus ex aureâ catenulâ pendulum, postquam co officio ritè perfunctus est, simulavit se recedere in arcâ annulum, quem furtivè in manicam demittebat: sed clam subfugiens cum illo fluvio superato, tantâ subito caligine circumfusus est, ut isthæc ei permanendum fuisset; nisi capto in arenâ consilio lumen ab exorata Virgine impetrasset; quo præunte, & sequente caligine, Perusium ductus cum eadem se nebula per dies omninò viginti toti offudisset urbi, tandem protulit quod occultatum volebat, & simul optatam reddidit populo mirabundo Cœli serenitatem. Deinde cum sacrum annulum in jus Senatus populique Perusini transcripsisset, non modò impunitatem facti, sed & præmia obtinuit, præ quibus faciliè contempsit Clusinatorum minas: qui ubi neque per suos, neque per Senensium Sociorum Oratores, petitam restitutionem persuaserunt, videruntque Perusinos tanquam de re suâ decernere, ut ferrea arcæ duplici sub multiplici serâ custodiâ recluderetur, & ter in anno maximâ cum lætitiâ testificatione productus populo ostenderetur, tandem ad arma prosilierunt, scissaque est in partes vicina Umbris Hetruscisque Italiâ, donec Sixtus IV. decrevit Romam ut transferretur, quasi dignius in urbe totius Religionis Matre habendus, quam ubi tantas ciebat turbas.

Sed mortuo Sixto IV. denuò cognita est Perusinatorum causa sub Sixti successore Innocentio VIII. & Civitati Perusina, quam sibi Pontifex conciliatam volebat, pronubus Virginis annulus adjudicatus anno 1486. tantâ totius populi gratulatione, ut explicari nequeat: quæ omnia uberrimè prosequitur Joannes Baptista Laurus Perusinus

Perusinus, libellumque de totâ hâc re Romæ excusum anno 1621. in hunc modum concludit.

- IX. Cæterum quo perennaturi apud Perusinos annuli cultus longè latèque propagaretur ab Ædiculâ Palatinâ digniorem in locum Patres transferendum censuerunt, non tam sponte suâ, quam hortatu Patris Bernardini à Monte Feltrio laudatissimi eo tempore Ecclesiastæ, qui cum annuli istius dignitatem magnis extulisset laudibus, & collapsam retro observantiam multò flagrantius revocandam docuisset, dictis mox obsequentem Senatam habuit: Qui ornatissimum Sacellum in Basilicâ Sancti Laurentii, quâ muro picturato, ac cæclatis asseribus conclusum, quâ ferreis polis & cratibus magnificentissimo sumptu extruendum curarunt. In summo hujus hastati propugnaculi ductâ circum fasciâ hi extant descripti versus:

*Hic sociata suo colitur Regina marito:
Et facili justas accipit aure preces.
M. D. XI. Deinde hi
Hæc sacer intacta Matris jacet annulus
Ede,
Qui dedit est Custos muneris ille
sui.*

Alludendo ut puto statuë Divi Josephi quam ad aræ annularis dexteram crexit & collocavit Senatus Perusinus ut infra num. 14.

- X. De hoc annulo Sacratissimo sic olim cecinit Urbanus VIII.

*Imbriferis arcus fulgens in nubibus orbem
Efferat diluvii damna timere vetat,
Sic Deus omnipotens voluit: decus annule majus
Est tibi, quem supplex urbs Perusina colit.*

*Is gemino constans arcu felicior index,
Nam peragit Virgo hoc nupta salutis opus.*

Virgineo terra conjungens fœdere Cælum:

Hoc Duce non Pelagi non Stygis unda nocet.

- XI. Solent verò Matronæ conflatos ex ebore aliâve materiâ annulos alios illius attactu sacrandos Perusium afferre vel mittere in partu profuturos. Reconciliandis quoque conjugum dis-

sidentium animis, plurimum valere multoties expertum est domesticæ pacis suavissimo fructu obtento eliminatâ discordiâ. Lignea etiam theca in qua fuerat olim sacra gemma servata, in Jordaniorum Ædibus incendio correptis sola mansit inviolata ab igne: eductum verò ex illâ gossypium ne profanis adhiberetur usibus, digitos id conantis instar ignis sepiusculè adussit.

Denique innumeri à dæmonibus oppressi, possessi, obsessi, confugientes ad sacrum Altare, ubi hic annulus servatur, liberi redierunt.

Dices hic annulus quamvis aliquando Divi Josephi, ut potè ab eo Virgini datus, ex quo tamen per desponsationem factus est Virginis, potius inter reliquias Beatæ Virginis, quam Divi Josephi accensendus est, & à Virginis attactu & usu habere, quod eâ virtute patratorum miraculorum præditus sit. Respondeo sit ita, non enim negari potest à solo Virginis contactu virtutem mirificam trahere potuisse; sed cum annulus iste verè fuerit sponsalitiuus, à Divo Josepho Virgini Sponsæ in ipsâ ejus desponsatione in spiritu traditus, id est cum protestatione expressâ servandæ inter se inviolabiliter virginalis integritatis (quam etiâ ipse, ut illa, supra homines inviolatam servavit) eumque eâtenus Virgo Beata acceptarit & gestarit, non apparet quare hic annulus sub hac ratione consideratus, non potuerit movere Deum ad ea miracula per eum faciendâ, quæ facta fuisse scribuntur. Proinde illa miracula quæ ad annulum istum Perusinum tanquam primarium, deinde ad alios Parisiensem, Aquicinætinum, & Semimurensem, de quibus infra, facta feruntur, non solum annulo isti quia à Divâ Virgine gestatus est, sed etiam quia à Divo Josepho in pignus & artham virginalis in conjugio fidei datus, & à Divâ Virgine acceptus, attribuenta.

Ad stipulari videtur huic nostræ cogitationi versus hic eidem appositus,

*Hic sociata suo colitur Regina Marito,
ex duobus à nobis supra relatis quos Senatus Perusinus in dictâ circum annuli conditorum fasciâ describi voluit.*
Deinde

Deinde etiam quod idem Senatus voluerit Sanctissimo Patriarchæ ad Aræ annularis dexteram erectam & collocatam elegantem statuat, quæ die Martii vnde vigesima annuâ cum Supplicatione in forum producitur, instituta etiam secularium Insignium Societate Sancti Iosephi nuncupata, quæ unâ cum Laurentiano Clero perpetuum famulatum annulari Sacello exhibeat. Et hæc de Perusino, ante Clusino annulo: Nunc de aliis.

XV. Gertion Cancellarius Parisiensis in suâ Iosephinâ distinct. 5. littera F. in fine, & in Exhortatione ad Ducem Bitoricensis factam anno Domini 1413, eo sine ei factâ ut impenderet se pro obtinenda solemnizatione Festi Sanctissimi Iosephi Virginalis Sponsi Beatæ Mariæ quæ extat 4 part. Operum ejusdem, scribit Parisiis in majori Templo servari duplicem annulum sponsaliorum Beatæ Virginis cum Divo Iosepho confertâ utriusque suâ gemulâ.

XVI. Matthias Navæus verò Doctor Duacenus lib. cui titulus Sponsus Virginis decoratus coronâ 31. gemmarum, &c. orat. xi. paulo post initium ex Molano in Natalibus Sanctorum Belgii 16. Octobris, Ferreolo Loctio lib. 5. de Mariâ Augustâ cap. 31. Gazeo, Carthagenâ, P. Antonio Balinghem in Inventario sacrar. Reliquiar. Domina nostræ sect. 9. cap. 3. & Carolo Stengelio Benedictino lib. 3. de Reliq. D. Deiparæ cap. 16. ultra annulum Perusii servatum meminit adhuc duorum aliorum, quorum unum asservatur in Monasterio Aquicinctino Ordinis Sancti Benedicti in Belgio inter Duacum & Valencenas, nominatum etiam Sponsalem, quem tamen, inquit, attentâ ejus magnitudine ac reliquâ formâ difficulter Beatissimæ Virginis annulum credes, & hic est non ex cupro deaurato, ut aliqui voluerunt, sed juxta plurimum Aurificum, ejusdemque Monasterii Religiosorum testimonium, ex auro puro quamvis sub-pallido. ad cuius contactum vel præsentiam multa, præsertim ad puerperiorum prosperitatem insignia ac manifesta præstantur beneficia. Et licet Medici aliqui gemmarum quarundam applicatione quas

ejusdem virtutis existimabant, idem operari conari sint, id tamen frustra. Extantque in eodem Monasterio litteræ pervetustæ Philippi Austriaci Comitum Flandriæ vernaculâ linguâ conscriptæ, quibus dictum Monasterium intuitu Annuli Beatæ Virginis in tutelam suam cum omnibus ejus bonis suscipit, sicut & ante illum, ut ibidem ipse com memorat, fecerat Avia ejus Ducissa Isabella, præciolæ ejusdem Reliquiæ intuitu, ad cuius præsentiam Dux Avus ejus à febre quadrienni relevatus, sanatusque fuerat.

Alter in verò annulum dicit Matthias Navæus servari in Prioratu Semimurensi in Burgundiâ, qui etiam ille dicitur quem Deipara Virgo à Beato Iosepho Sponso arhabonem accepit, miraculis etiam illustratus.

XVII. Extant igitur ex dictis, quinque annuli sponsalicii Beatæ Virginis. Primus illeque mihi certissimus Perusinus, Duo Parisiensis; Quartus Aquicinctinus; Quintus Semimurensis, & illi omnes miraculis clati: quamvis omnium clarissimus Perusinus. Quid ergo hic censendum?

XVIII. Divus Isidorus lib. 2. de Officiis Ecclesiasticis cap. 19. & Divus Clemens Alexandrinus Pedagogii lib. 3. cap. 11. docent antiquitus non fuisse moris amplius quam unum annulum dari Sponsæ à Sponso in desponsatione, & ideo annulos reliquos, ut superfluos, vanos, imò incongruos, à muliere nuptâ esse abjiciendos, cum juxta Sapientem honestas disciplinæ ornamentum potius illi esse debeat.

XX. Illud verò, inquit Isidorus, quod imprimis annulus Sponsæ à Sponso datur, sic hoc nimirum, vel propter mutua fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pigore eorum corda jungantur: unde & quarto digito idem annulus inseritur, quod in veena quadam (ut fertur) sanguinis ad cor usque perveniat: Antiquitus autem non amplius uno dabatur, ne pluralitatis amorem unicus caperet.

XXI. Divus verò Clemens Alexandrinus cumulando addit gravissimè. Nobis enim pulcherrimè Divinus præcepit Apostolus ut IESVM Christum induamus, & ne carnis curam geramus in desideriis: prohibet autem verbum ne auriculas sanctus

ciemus vim natura afferentes, cur non enim itidem narem? ut illud etiam impleatur quod dictum est, quemadmodum inauris in auro suis, ita improba femina pulchritudo. In summa enim si quis auro ornari existimet, is est auro inferior, qui est autem auro inferior, is non est ejus Dominus. Se autem Lydio ramento, minus esse honestum, & inferiorem fateri, quomodo non est absurdissimum? Quemadmodum ergo polluitur aurum suis immundiciâ cænum rostro suo conturbantis, ita que sunt paulo magis luxui deditæ mulieres, si à nimis copiis incitentur ad libidinem & impudicitiam, probro ac de lecore veram pulchritudinem afficiunt, cum inquinamenti veneris polluentes. Das ergo eis anulum aureum, nec cum quidem ad ornamentum, &c. Quæ ibi acriter prosequitur S. Clemens.

XXII. Cum ergo propter amoris unitatem, ut unicus sponsus sponfam amet unam, sponsalem anulum unicum esse voluerit tota Antiquitas, quomodo ergo erunt dati à Divo Josepho Sponsæ, quæ nulla purius vel cordialius amata, quinque annuli sponsales? Deinde esto non esset inter illos nisi unus sponsalis, unde quatuor alii Beatæ Virgini modestissimæ, pudicissimæ, ac inter mulieres benedictæ? Ne unum quidem ad ornatum approbat Divus Clemens Alexandrinus in muliere pudicâ, quomodo ergo quatuor reliquos à Perusino in Virgine pudicissimâ admittemus.

XXIII. Sed interim quid dicemus de antiqui temporis traditione, de vicinorum populorum communi devotione, præcipue verò de supernis ac frequentibus quæ ad reliquorum annulorum præsentiam vel contactum præstita sunt beneficiis, quæ non videntur pati negationem? Respondeo potuisse id inde provenire quod cum hi fuerint cusi ad repræsentationem primarii illius idest Perusini, illi admoti, vel inserti, ac per ejus contactum sacrati, ab hoc traxerint, ut potuerunt, ac cedente piorum fidelium fide & devotione permagnâ, Deoque pietati vclificante vim faciendi miracula. Et hæc de annulo D. Josephi.

XXIV. Quoad alias secundi generis ejus Reliquias fama fuit extare Aquilgrani

(quæ Civitas est Imperialis in Diocesi nostrâ Leodiensi à Caroli Magni Imperatoris sede ibi fixâ nobilis) ejus caligas. Sed post factas ex ipsâ Ecclesiâ Imperiali Aquilgraniensi diligentes perquisitiones nullum de iis authenticum testimonium extare intellexi: sed solum inter preciosissimas Reliquias ab eodem Carolo Magno ex Jerusalem illuc allatas, statim exhiberi temporibus, ordinariè de septennio in septennium, pannos aliquos nomine primarum Christi fasciarum, quibus in Stabulo Bethleemico involutus est, quæ ab antiquo habentur pro caligis Divi Josephi: quosquæ pannos qui videntur, Tibialia potius viatoria, seu Perones, quam Caligas vel Tibialia propriè dicta judicarunt, quibus Beatissima Virgo puerpera, aliis deficientibus, uti coacta est ut Regem Cæli & terræ in terris natum infasciaret: nec incredibile hoc, cum Divus Bonaventura referat ex revelatione fide dignâ in Meditar. vitæ Christi Beatissimam Virginem lineaminibus similiter deficientibus coactam uti velo capitis sui. Nimirum ut ibidem docet Seraphicus Doctor ex Divo Bernardo: *Hanc pauperitatem servavit Beata Virgo Mater & filius Dei. Non sunt stabulum dedignati, non bestias, non fenem, non cætera vilia: o pauper! o inops! o primus & novissimus! Hospes in diversorio, pauper in præsepio, fugit in Egyptum, sedet in asino, cum pauperibus offertur in Templo, & nudus suspenditur in patibulo. Sicut igitur in Paradiso voluptatis Deus operuerat Adam & Evam, ita in vices reciprocas in stabulo Bethleemico, seu etiam in hæc valle lachrymarum operiunt ipsum ad istorum milerias devolutum in gradu eorundem restituti Joseph & Maria: ut & sub jure ac protectione parentali utriusque, ac velut utriusque filium ab utrisque pariter confovendum se nasci Christus hæc ratione indicaret.*

Extat quoque pallium Divi Josephi XXV oblongum satis & subflavi coloris, cuius una pars religiosissimè asservatur & visitur Romæ in Ecclesiâ Sanctæ Anastasiæ, illudque à se ibidem visum mihi testati sunt viri è nostris fide dignissimi, ad stipulaturque Matthias Navrus

væus Doctor Theologus & Librorum Cenfor Duacenus opere citato titulo 27. & Josephus Geldolphus à Ryckel in suo Philacterio ex Reliquiis Sacris Iesu, Mariæ, Joseph. Altera pars itidem Romæ in Ecclesia Sanctæ Cecilie trans Tiberim, ut tradit Octavius Pancirolus.

XXVI. Ex hoc Pallio non contemnendam particulam quam Cardinalis Ginettus dono dedit Patribus nostris Exealc earis Antuerpiensibus (cujus læciniam accipere ab his Leodiensibus) sub tribus clavibus ibi diligentissimè asservatam, quam non sine devotionis excitamento plebi frequenti venerabundè ostentant in Natalitiis Christi Domini feriis.

XXVII. De Pallio Sancti Martini Turonensis Episcopi scribit Ribadeneira ex aliis in fine vitæ ejus, quod in castris illud ferri præcipiebant olim Galliarum Reges, tunc cælo plus quam viribus suis confidentes, maximè cum bellum arduum illis incumberet, nec sine effectu & frequenti & miraculoso. Si hoc pallium Sancti Martini, quid pallium D. Josephi? Certè si ad bella nostra maximè contra Ecclesiæ & fidei hostes processuri Divi Josephi pallio tanquam vexillo inimicis Dei terrori futuro uteremur, vel etiam spiritalius loquendo sub ejus patrocinio ad bella nostra procederemus, non abfimiles effectus, immò majores, & certius quidem sperare possemus, maximè verò si milites nostri eadem fide armati, virtutibus quibus id hominum genus fecidissimè scater abstinerent.

XXVIII. Extate Romæ in Ecclesia Sanctæ Cecilie trans Tiberim Divi Josephi scipionem seu baculum, quo in itineribus suis usus est, scribit Octavius Pancirolus. *Auzeri* verò in suo libro Gallicè conscripto, cui titulus, *L'Épiphanie de Saint Joseph*, eum dicit esse Camberii in Sabaudia: nihil vetat fuisse duos quorum unus sit hic, alter ibi. Et hæc de Reliquiis Divi Josephi secundi generis.

XXIX. Reliquiarum primi generis idest corporis ejus partes, caput, brachia, ossa, pedes, &c. nullæ reperiuntur extate in terris, quare P. Bartholomæus des Champs, in suo itinerario Terræ

Sanctæ loco supra citato, dum loquitur de sepulchris in scala illa marmorea, per quam descenditur ad Cryptam, in quâ est monumentum Deiparæ Virginis, extantibus, de sepulchris, inquam, Sanctorum Josephi, Joachimi & Annæ dicit in his duobus postremis sepulchris servari distinctè ossa Sanctorum Joachimi & Annæ. De Divo Josepho autem, ut & de Deipara dicit tantum ibidem horum extare sepulchra. Quare cum nullibi reperiuntur, signum est ipsum proculdubio in corpore & animâ ad cælos ascendisse, de quo uberius capite sequenti.

Quare quod dicit Beyerlinck tom. XXX. Magni Theatri Mundi unum digitum Divi Josephi Beatissimæ Virginis Sponsi servari in Monasterio Andagensi Sancti Montis Diocesis Augustanæ in Superiori Bavaria, caret omni probabilitate. Tum quia in corpore & anima in cælum assumptum magni nominis Authores & ineluctabilibus probant argumentis: tum quia si non resurrexisset, non unus solus de toto corpore tam Sancti Viri inveniretur digitus.

CAPUT V.

De Divi Josephi Incorruptione, Resurrectione & Assumptione in Cælum.

PHILOSOPHUS quidam Ethnicus Divi Pachomii multorum millium Monachorum Patris synchronus, Sacræ Scripturæ indagator curiosus non studiosus, ab eodem Sanctissimo Archimandrita postulavit sibi mitti, qui nonnulla sua dubia circa Scripturam solveret, cui ut satisaceret Pachomius omnibus se æstimans debitorem, & omnes Christo lucrifacere exoptans, duos misit è monachis suis insignes, in quibus Theodorum quemdam ab annis quatuordecim virtutis & scientiæ sacræ alumnum, & in iis versatissimum: Cui à Philosopho propositæ tres quæstiones: Prima, quis non natus & tamen mortuus? Secunda, quis

natus

natus & tamen non mortuus? Tertia, quis natus & mortuus, non tamen corruptus?

II. Ad hæc quæ sita licet plus curiosa quàm fructuosa, Respondit tamen Theodorus, nec cum minori acuminemine, quam proposuerat vanus Philosophus. Ad primum, Adamum non natum (fuit enim à Deo immediatè creatus) mortuum tamen, ut constat, immò à quo in omnes homines mors pertransiit: Ad secundum, Enoch natum ex patre Jared, non tamen mortuum, ut enim dicitur Genes. cap. 5. *Ambulavit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*, anno scilicet ætatis suæ 365. Ad tertium, Respondit ex Genes. cap. 19. uxorem Loth ex curiositate ei prohibita respexisse retro abominandæ Civitatis incendium & gentis excidium, & ideò in poenam curiositatis versam in statuam salis, adeoque natam & mortuam sed non corruptam, seu putrefactam.

III. Sed bonâ Theodori veniâ hæc ad tertium Philosophi quæ situm solutio quâ ei satisfacere nobis non satisfaceret urgeo enim, ubi nam modò est illa statua salis? Nunquid demùm corrupta est: nunquid materia ejus in alias & alias formas transit ab illo tempore? Et si ætate adhuc suâ superfuisset Tertullianus (foras ex vulgi opinione) scripserit, nonne constat vel de Salvatoris sententiâ Matthæi cap. 5. salem ipsum infatuari & evanescere?

IV. Satisfecerit igitur Theodorus Philosopho per suum responsum, responderem ego verbis Psalmistæ psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quo textu D. Petrus Actor, cap. 2. vers. 25. 26. 27. 28. 29. 30. & 31. fortiter ac solide probat Christi incorruptionem & resurrectionem. *Viri fratres*, inquit, *licet audacter dicere ad vos de Patriarchâ David, quoniam defunctus est & sepultus: & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem: Propheta igitur cum esset & sciret quia jurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus: providens locutus est de Resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc refuf-*

citavit Deus cujus omnes nos testes sumus. Christus ergo est ille tertius in quæ sito Philosophi natus & mortuus, & tamen incorruptus.

Neque hoc tantùm, sed & aliis, quos corruptio non ausa est invadere, contulit incorruptionem, quantò magis ergo Patri suo dulcissimo ac dilectissimo D. Josepho?

Porro quatuor potissimum ex causis illi præ cæteris post Sponsam suam debebatur incorruptio; Prima quod post ipsum eminebat præ cæteris in dignitate, utpote verè Pater illius cujus ista Mater, eo modo quo diximus part. 2. tract. 2. Secunda, quod non dignitate tantùm, sed & morum ac carnis integritate illos antecellebat. Si enim de Divo Andræâ Corsino nostri Ordinis & Episcopo Fesulano ab Urbano VIII. solemnè ritu anno 1629. Sanctorum factis adscripto, Ecclesia ex Decreto S. Congreg. Rit. in ejus Officio ad Laudes Antiphona ad tertium psalmum canit: *Integer vivens moribus fuit Beatus Andreas, cujus corpus exanguè membrorum dissolutionem non novit.* Et de factò à trecentis & amplius annis mortuus integer perseverat ac tractabilis Florentiæ in Ecclesiâ & Conventu suæ Professionis. An non illo & carne & mente purior Divus Josephus? Tertia, quod Iesus ut piissimus filius Optimo Patri parentans ejusque funeri omni dubio remoto assistens corpori ejus exanguè statim ut in sepulchro, ubi alia corrumpuntur, depositum fuit, benedictionem suam impertierit, à quâ utpote potentissimâ incorruptionem, quam ei asserimus, accipere debuit. Quarta, eò vel maxime quod ipsum in Resurrectione suâ cum multis aliis SS. Patribus, qui cum eo surrexerunt, non diu post suscitaturus erat. Si enim aliis quibusdam Sanctis, qui tamen non erant surrecturi nisi in fine mundi, tot sæculorum incorruptionem concessit, quantò magis Patri suo non futuro inter mortuos nisi ad tres circiter annos?

Quantùm ad secundam partem argumenti quæ est de Resurrectione & Assumptione ejus in Cælum, dico resurrexit cum illis quorum post Christi mortem monumenta aperta sunt & qui surre-

surrexerunt & apparuerunt multis, & ascendit cum filio suo ad caelos in corpore & anima beatus. Ita D. Bernardinus tom 3. Serm. de Sancto Ioseph art. 3. cap. 2. Joannes Gerson Serm. de Nativ. Virg. Isidorus Isolanus 4. part. cap. 2. Viguerius Granatensis de Myst. Incarn. Fonseca in vitâ Christi cap. 9. Suarez tom. 2. in 3. part. D. Thom. quaest. 29. art. 2. disp. 8. sect. 2. Noster Hieronymus Gratianus lib. 5. de Sancto Ioseph tit. 5. Bernardinus Bufen- sis in Mariali 4. part. Serm. 12. Andreas Soto lib. 3. Sancti Iosephi cap. 33. Petrus Morales lib. 5. tract. 11. & infiniti alii, recipiturque hodie ab omnibus.

VIII. Colligunt hoc omnes ex illo Matthæi cap. 27. *Multi corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt, & exeuntes de monumentis post Resurrectionem ejus, venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* In quæ verba Angelicus Doctor D. Thomas in Commentariis: *De istis, inquit, solet quæri utrum resurrexerint iterum morituri: cõstat aliquos resurrexisse, ut iterum postea morerentur, ut Lazarus, &c. Sed de istis potest dici quod surrexerunt non iterum morituri, quia surrexerunt ad manifestationem Resurrectionis Christi.* Atqui ex eodem Angelico Doctore in 4. dist. 43. quaest. 1. art. 3. *Ad hoc ut verum testimonium de vera Christi Resurrectione proferrerent, congruum fuit quod verè resurgerent semper in corpore victuri, & in Cælum cum Christo ascendentes corpora liter.* Nec eorum Resurrectio propter ipsos accelerata est, sed propter Resurrectionem Christi testificandam, quod quidem testimonium erat ad fundandam fidem Novi Testamenti: unde decentius factum est per Patres Veteris Testamenti, quam per eos qui jam Novo Testamento fundato decesserunt.

IX. Idem ante D. Thomam censuratur Remigius in c. 27. Matthæi, ubi sic ille: *Incunctanter credere debemus quia resurgente à mortuis Domino surrexerunt, ascendente eo ad caelos, & ipsi pariter ascenderunt.*

X. Divum Thomam & Remigium in hac opinione præcesserat antiquissimus Origenes qui lib. 1. in epist. ad Rom. cap. 1. ad illa verba, *Ex Resurrectione*

Domini nostri IESU Christi, hæc profert: Christus habuit aliquos participes in primata Resurrectionis, sicut illi fuerunt qui cum illo suscitati dicuntur, cum monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt. Et de his forte asse dicit Apostolus esse Ecclesiam primitivorum, quam adscriptam memorat in caelis.

Et meritò quidem, nam in illis non tantùm solidabatur & falciebatur fides Resurrectionis Christi Domini nostri, sed fundabatur spes nostræ aliquando futuræ; sed si hi iterùm mortui fuissent, quomodò in illiusmodi eorum resurrectione potuisset fundari spes nostræ futuræ, quam credimus & speramus futuram æternam?

Objicies non sunt credenda & invehenda sine necessitate miracula, nec Deus præterit legem à seipso quibusque rebus impositam: Atqui hæc lex est omnibus hominibus imposita, ut non tantùm omnes moriantur, sed etiam in pulverem de quo assumpti sunt revertantur. Ergo depositas hujus corporis mortalis reliquias ante universale orbis excidium cælo velle inferre videtur aliquo usque temerarium: Respondeo hoc argumentum non esse contemnendum, nec inficior fuisse singulare beneficium illud iis præstitum, quos Christus suis instructos corporibus, sibi in gloriâ redux in cælum sociare voluit: nihil tamen inde incongruum, immò incongruum maximè, si vitæ redditi ab eâ iterùm cecidissent. Primò enim quomodo illi per talem resurrectionem apti fuissent testes Resurrectionis gloriæ Christi Domini qui resurgens ex mortuis jam non moritur. Igitur constans fuit illorum resurrectio, nec fuerunt amplius morti obnoxii, ut veluti spolia opima adessent Christi in cælum ascendenti triumpho. Secundò, quia si iterùm illi morti fuissent obnoxii, non fuisset illis ista resurrectio gratiosa, sed damnosa: cum enim essent Animæ Sanctorum, ut patet ex loco citato Matthæi cap. 27: erant ascensuræ cum Christo in cælum, sed subeuntes iterùm corpora sua, à quibus postliminio iterùm separandæ fuissent reductæ ad miserias & ærumnas corporum mortuorum

R r r

tutorum

tutorum, ergo talis resurrectio fuisset illis damnosa. Cum enim ex utraque sententiâ oppositâ exurgant dispares sequelæ, illa proculdubio est amplectenda (tacente Scripturâ quænam sit vera) quæ Deo magis congruit: At magis congruit Deo & Christo à sefufcitatos consortes gloriæ suæ fecisse, veluti prima redemptionis liba & nostræ gentis primitias, quàm animas beatificandas isto tempore damnasse ad reditum ad corpus denuò moriturum.

XIII. Dices illi non diu post Resurrectionem Christi vixerunt, & sic aut non fuit necesse quod aliquibus corporis molestiis subigerentur: aut si fortè aliquantulam subierunt ob tantum finè, non debet hoc æstimari, maximè cum omnia contra propriam inclinationem nitantur ob bonum cõmune universi, vel ut famulentur in aliquo Creatori, quia prima inclinatio naturalis cuiusque rei est ad bonum universi, vel ad Authorem universi, secunda verò ad proprium & particulare bonum.

XIV. Respondeo primò, cum potuerit & quidem melius iste finis conjungi cum resurrectione constanter & perpetuâ, ut patet, idcirco ruit omninò hæc objectio in contrarium: Respondeo secundò, si tam citò ad interitum rediissent, daretur occasio dubitandi an talis resurrectio fuisset vera, & è contra arbitrandi quod fuisset tantum phantastica: propter quam rationem (præter cæteras & ante & infra adducendas) omninò indubitatum mihi videtur, & omnibus qui rem istam maturè examinant videri debet quod ii qui cum Christo surrexerunt, non sint amplius mortui, sed cum eodem Christo in die Ascensionis in cælum subvecti, ibique cum Christo in corpore & animâ beati, tanquam primitiæ resurgentium.

XV. Quod si, ut probabiliissimè docent quàm plurimi Interpretes & Theologi, Animæ Sanctorum illorum quando resurrexerunt erant beatæ, quantò fortius urget pro præsentis veritate præcedens argumentum? Secundò conaturale est Animæ beatæ uniri corpori immortalis & glorioso: immò verius illud naturaliter efficere suâ unione immortale & gloriosum non fuit

ergo necesse Scripturam expressisse, quod illi Sancti qui cum Christo resurrexerunt, resurrexerint ad vitam gloriosam & immortalem, cum in hæc suppositione hoc ex illo naturaliter ac necessariò sequatur, nec aliter fieri poterit sine miraculo.

Et licet ex his hæc sententia sufficenter maneat fundata, confirmatur tamen abundantius primò ex Gaboleno in l. ff. de constitutionibus Principum, docentis, *Beneficium Imperatoris quod à divinâ scilicet ejus indulgentiâ proficitur, quàm plenissimè interpretari debemus.* Confirmatur secundò, quia omninò decuit ut Christus corpore & animâ constans, in cælum triumphabundus ascendens, & utriusque partis, corporis & animæ, gloriæ meritis pro hominibus, haberet saltem aliquos suæ gloriæ socios secundum utramque partem, præferim cum ipsius deliciæ sint esse cum filiis hominum. Confirmatur tertio quia Deus proclivior est ad benefaciendum, quàm ad puniendum: *Miserordia enim superexaltat iudicium.* Jac. cap. 2. Cum ergò plures inveniamus corpore & animâ ab inferno absorptos, ut Chore, Dathan, & Abiron in Scripturâ Sacrà Numer. cap. 16. Ut Drahomira Sancti Wenceslai primi Bohemiæ Regis Mater truculenta, quam post necatum ipsius hortatu ab impio fratre juniore Sanctum Wenceslaum, Deo vindice, terra absorbit. Ut nefarius Interfector Beati Stanislai Bidigostia Posnaniensis Diocæsis in Polonia, gloriosissimi Martyris ex Ordine nostro apud nostrum Lezanam tomo 4. Annalium ad annum 1420. Ex Biscaretto in palmitibus vineæ Carmeli, ex Catalogo Sanctorum Regni Poloniæ Patronorum Romæ approbato & compilato per Varsevicium Canonicum Cracoviensem anno 1602. Et ex Martino Baronio Clerico Jaroslavizch in lib. de Vitâ & Miraculis Beati Stanislai Bidigostia, qui illicò post admissum facinus, Deo ulciscente, seu à demone abreptus, seu terræ hiatus imperceptibili absorptus est, cum nequaquam amplius nec vivus, nec mortuus apparuerit, dum interim omnes Idolorum Sacrificuli qui cum incitarant, oculorum

oculorum cœcitate percussî omnes miserè perierunt. Ut Comes ille Matifconienfis apud nostrum Matthiam à Sancto Ioanne tomo 2. Histor. Panegyric. Ord. Carm. part. 4. cap. 20. quem secutus fuisset certissimè alius paris nobilitatis & nequitia, ni obstitisset satis levis illius devotio ad Beatam Virginem, ut idem Pater Matthias refert ibidem, ex antiquo Authore, cui nomen *Guillelmus de Menda*, aliàs *Saladri*, in lib. cui titulus *Rationale Divini Officii* part. 5. Et alii plurimi apud alios. Ad ostensionem ergò Divinæ misericordiæ & copiosæ apud eum Redemptionis, spectabat ut essent etiam aliqui ante Iudicium Universale corpore & animâ Beati, nec in minore numero sed majore: quinam verò illi nisi qui supra, qui resurgente à mortuis Christo cum eo surrexerunt?

XVII. In his autem Divum Josephum tenuisse principem locum non est ambigendi locus. Primò, quia cum esset Christo propinquior omnibus illis qui cum eo surrexerunt, ipsi magis quàm illis illud privilegii debebatur. Secundò, quia ejus dignitas & merita extra omnem comparationem: Nulla ergò fuere aliis Sanctis inferioribus privilegia concessa, quæ non in eum plenissimo cornu pietissimus effuderit Filius, in eoque effulgeant vel formaliter vel eminenter. Tertiò, quia invenitur ejus sepulchrum quod etiam nunc extat, ut constat ex dictis supra hoc Tract. cap. 3. num. 13. 14. 15. & 16. Nullibi autem inveniuntur ejus ossa quæ in eo certissimè deposita fuerunt: Quò ergò illa abierunt, si ipse non resurrexerit cum illis qui resurgente Domino resurrexerunt?

XVIII. Et si illa alicubi terrarum occultata delitescerent (quod tamen sine ratione diceretur) adduci ne posset quicquam sanæ mentis ut crederet Deum qui tot corpora Sanctorum illo longè apud ipsum inferiorum aliquamdiu latentia, adhibitis tandem apparitionibus, signis & prodigiis cœlestibus detexit, quia inhonorata remanere noluit, velle Patris sui dulcissimi & longè amantissimi Reliquias neglectas in squallore & sine ullo cultu & hono-

re? Ergò resurrexit cum Christo cum eoque ad cœlos ascendit.

Tandem cum Divus Josephus tantus esset, ut vidimus per totum hoc Opus, merebatur profectò statim à morte frui ejus anima visione beatificâ, quâ statim ab illâ donati sunt ferè omnes alii Sancti qui post Christum decesserunt: Cum ergò per tantum tempus, tres scilicet annos & amplius, gloriâ istâ sibi tam justè & tot titulis ob tanta merita, debitâ privatus sit, quia debuit expectare Christi satisfactionem, & ipsius primò ut Mediatoris omnium universalis & Capitis in Cœlum introitum, debuit hæc dilatio recompensari, quod factum per gloriam corporis anticipatam illi concessam.

Ad stipulatum etiam voluit Deus huic veritati cœlesti prodigio, ut ne vel vecordissimo ipsius dubium restaret: Nam Andreas de Soto lib. 3. Sancti Josephi cap. 33. refert Sanctum Bernardinum Senensem id prædicasse Paduæ coram confertâ hominum multitudine, atque hoc illo prædicante in fidem hujus veritatis super caput ejus auream Crucem fulgentissimam apparuisse, quam omnes viderunt, & ita esse ut Sanctus Bernardinus prædicabat crediderunt. A quo propterea tempore fides hujus asserti apud Fideles adolevit. Voluit nimirum Deus Divi Josephi Patris sui exuvias non hîc jacere, sed ad Cœlum transferre, quia ampliori honore erant dignæ.

Mente ergo dum intueor Christum Dominum in die Ascensionis cum Divo Josepho redivivo in Cœlum redeuntem, & Patrem Æternum ad introitum eos recipientem existimo Patrem & Filium post mutuos amplexus eadem aut ferè similia inter se de Divo Josepho (quem Filius manu tenebat) miscentes colloquia, qualia uterque Tobias Pater & Filius de Raphaele filii in longo & diuturno itinere comite & defensore, Tobia cap. 12. ubi sic senior Tobias Filio suo. *Quid possumus dare viro istis sancto qui venit tecum? Respondens, Tobias dixit Patri suo, Pater quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit*

Synopsi

poterit esse beneficiis eius? me duxit
& reduxit sanum; pecuniam à Gabelo
ipfe recepit; uxorem ipse me habere fe-
cit, & demonem ab eà ipse compe-
scuit; gaudium parentibus eius fecit,
me ipsum à devoratione piscis eripuit,
te quoque videre fecit lumen Caeli, &
bonis omnibus per eum repleti sumus,
quid illi ad hæc poterimus dignum da-
re? sed peto te Pater mi ut roges eum
si forte dignabitur medietatem de omni-
bus que allata sunt assumere. Sic Pa-
ter Æternus Filio: Sic Filius Patri
de Divo Josepho, Comite, Tutela-
ri, Custode, Duce, Benefactore,
Nutricio in longo suo super terram
incolatu & peregrinatione. Fili, in-
quit Pater Æternus, quid dabimus
Viro isti Sancto qui venit tecum?
Pater, inquit Filius, quam merce-
dem dabimus ei? O qualis in hæc
Patris & Filii quasi dubitatione Divi
Josephi extasis! Ille (prosequitur Fi-
lius) Matrem me habere fecit, ille
me & illam à suspitione infamiae li-
beravit, in illum ex utero Matris
projectus sum, ille de ventre Matris
meæ factus est susceptor meus. Ille
me portavit in Ægyptum, & inde
repottavit. Ille me ab immani He-
rodus furore eripuit & Archelai præ-
servavit: Ille me triginta annorum
spatio in omnibus itineribus meis
duxit & reduxit: ille me de sudore
vultus sui, Matremque meam pa-
vit in innocentia cordis sui, &c.
Quid illi ad hæc poterimus dignum
dare? Nonne utique quod uterque
Tobias Raphaeli, hoc utique Pater
Æternus & Christus Divo Josepho
medietatem omnium bonorum: hoc
est ut ea omnia possit D. Josephus pro
nobis per authoritatem, quod Deus
ipse per potestatem.

CAPUT VI.

De Divi Josephi gloria secun-
dum utrumque, idest secun-
dum corpus & animam.

PRIMAM esse Divi Josephi
post Beatissimam Deiparam
conjugem suam inter caeli-
tes fortem opinio est jam
dudum recepta, hodieque commu-
nissima fidelium, & merito: quid enim
clarius? quid certius positum illis quæ
supra, de ejus singulari prædestinatio-
ne, dignitate incomparabili, sanctifi-
catione in utero, usu rationis accele-
rato, & virtutibus quas ex his fonti-
bus, atque etiam ex consortio, exem-
plis, & instructionibus filii sui quoti-
dianis, & convictu cum eo & matre
necessè est profluxisse?

Huc mihi videtur Christus respe-
xisse, dum respondens Matri Jacobi
& Joannis Apostolorum suorum & fi-
liorum Zebedæi, petenti ab eo dexte-
ram ejus pro uno è liberis, sinistram
pro altero in regno suo, conversus ad
liberos dixit. *Sedere ad dexteram meam,
vel ad sinistram, non est meum dare vo-
bis, sed quibus paratum est à Patre meo,*
Matth. cap. 20. vers. 23. Quasi dice-
ret, occupata sunt jam quæ ambitis lo-
ca, & aliis data, iis scilicet quibus pa-
rata sunt ab æterno à Patre meo: me-
dius sæpè inaccessi Matrem inter & Pa-
trem, Mariam inter & Josephum, illa
jam dudum dexteram meam hic sini-
stram, quas petitis, occuparunt & tenu-
erunt viatores in terris, illis paratum
est & destinatum, ut easdem teneant
comprehensores in caelis.

Quemadmodum ergo in ordine en-
tium naturalium nonnulla sunt quæ
transcendentalia vocantur, quia scilicet
singularum excedunt seriem & per-
fectione categoriarum; ita in ordine
gratia nonnullæ reperiuntur creaturæ,
quæ propter eminentiam singularissi-
mam & incommunicabilem in gra-
tia, sunt extra omnem ordinem alia-
rum creaturarum: talis est primò
Christus homo ratione divinitatis cui
natura ejus humana hypostaticè unita
est:

est: talis est secundò incomparabilis ejus Mater ratione partus ejusdem Dei hominis: talis est tertio & ultimo incomparabilis quoque ejus Pater Divus Josephus ratione suæ paternitatis, sub quâ dæmoni abscondus est: quorum dignitates singularissimæ sunt & incommunicabiles, & idè constitunt unum ordinem alios omnes supergredientem, quem Theologi vocant ordinem hypostaticæ unionis: in quo ordine Divus Josephus, qui ultimum tenet locum, participavit excellenter plenitudinem Christi, singulariter plenitudinem Virginis, & eminenter plenitudinem aliorum Sanctorum: ut proindè tanquam ultimus primi ordinis alios excellentissimè & incomparabiliter superantis, sit adhuc excellentiori modo verus primus secundus, & ita de aliis quibuscumque aliorum ordinum subsequentiis: & sic de aliis.

IV. Legimus, & ita ut legimus constat, specula reperiri in rerum naturâ tam artificiosè elaborata; ut per reflexionem specierum, earumque ab unâ parte speculi ad alteram repercussionem, ter eandem prorsus faciem cui obijciuntur repræsentent, & simul ac semel tres vultus sibi similes, sibi omninò similes exhibeant, qui tamen in re non nisi unus est; arte hominis hæc in parte naturam imitante, quæ aliàs tres exhibuit in Cælo, Soles, qui tamen in re unicus erat: alii enim duo non erant nisi hujus imagines in nubibus claris & terribilibus expressæ, quæ veluti specula talia receperant veri Solis impressionem, ut illum repræsentarent ita perfectè, ut ipsæ Soles sicut & ille, viderentur.

V. Ista miracula naturæ trium facierum, & trium partium, umbra sunt & imago harum trium Sacrarum Personarum, JESUS, Maria & Joseph: namque JESUS solus est verus Sol Justitiæ: Maria & Joseph solùm illius imagines: ambo tamen de splendore virtutum & gratiarum illius veri Solis adè excellenter & perfectè participant, ut simul cum ipso faciant pareliam; appareant, inquam, ac si tres essent Justitiæ Soles.

VI. Et verò erant illæ tres personæ omni magnitudine creatâ majores, quip-

pè quæ tam ratione supereminentissimarum qualitatum & perfectionum suarum, quam ratione unionis inter se arctissimæ, & cui nulla unquam similis in creatis, tres cœlestis ac Divinæ Trinitatis Personæ cum perfectione mirabili repræsentabant: efficebant, inquam, aliam Trinitatem in terris, cœlesti illi ac divinæ perfimilem, in quâ Maria Patris, Christus suam Filii, Josephus tertiam Spiritus sancti personam gerebat, & similitudinem quantum per creaturam potuit exhibebat: quam similitudinem multis prosequi possemus, nisi id factum esset à plurimis iisque gravissimis Authoribus, ad quos remittimus, ne toties actum iterum agamus.

VII. Illud tantùm restat ut huic creatæ Triadi, cui nomen Jesus, Maria, Josephus, cujus Anagramma aptissimum, significatissimum, ac verissimum, SIPHERIS, HOSAMA, VIVES: Hos versus appendamus, qui conspiciuntur in Sacello Ecclesiæ Parochialis Oppidi Couvinensis Patriæ ac Diocesis Leodiensis, sub sacro Carmeliticæ Scapularis Sodalitio erecto.

*Hic sociata suo colitur Regina marito:
Gaudet cum Joseph Sponsa Maria coli,
Iungitur his IESVS, Triadem nam
perficit ipse:*

*Nec Monadem tollit, tres simul
unit Amor.*

*Quos Deus aeterni conjunxit federe
Amoris,*

*Dic prece vel cultu cur separaret
homo?*

*Trinus & unus Amans, hos tres sociavit
in unum,*

*Sic colis hic Triadem, sic colis &
Monadem.*

VIII. Objicies 1. Corinth. cap. 12. *Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos. Qui propterea Apocalypsis cap. 21. Fundamenta Ecclesiæ, vocantur. Item ad Ephes. cap. 1. dicit Apostolus. Secundum divitias gratiæ ejus, quæ super abundavit in nobis, idest Apollolis: Ex quo, inquit S. Thomas Aquinas in illum locum, apparet temeritas illorum, ut non dicam error, qui aliquos sanctos præsumunt comparare Apostolis in gratiæ & gloriâ, manifestè enim patet ex verbis istis, quod Apostoli habent gratiam majorem*

maiores quam alii Sancti post Christum & Virginem Matrem. Et infra hoc idem confirmat Doctor Angelicus ex eodem Apostolo dicente ad Roman. cap. 8. Nos ipsi primitas spiritus habentes, & Glossa explicante: Tempore prius, & ceteris abundantius, ex quibus iterum concludit. Temerarium est ergo aliquem Sanctum Apostolis comparare.

IX. Confirmatur, quia gratia novi Testamenti major est gratia veteris, ut constat, & ideo maximos, medios, & infimos unius, cum maximo, medio, & infimo alterius comparando, videntur, & omnino verum est, Sanctos novi Testamenti eos qui sunt antiqui excedere: Sed Apostoli sunt Principes & primi inter Sanctos novi Testamenti: excedunt ergo illi in perfectione & sanctitate Principes Sanctos veteris. Et ideo expressè Divus Thomas illos anteponit Moyfi quæst. 12. de verit. art. 4. ad 5. & Abrahæ, Isaac & Jacob lect. 3. super epist. ad Rom. cap. 11. Sed Sanctus Ioseph pertinet ad vetus Testamentum, cum ante Christum mortuus sit, ergo Apostoli sunt majores illo.

X. Respondeo cum Gabriele de Sancta Mariâ Archiepiscopo & Duce Rhenensi in Concion. Adventual. super Missus est, serm. 7. & cum Patre Suarez in 3. part. quæst. 29. artic. 1. & 2. disp. 8. sect. 1. & 2. in hac comparatione probabiliter posse dici munus Apostolicum supremum quidem esse novi Testamenti, superari tamen multum à munere & ministerio Sancti Iosephi, quod est altioris ordinis & perfectioris, cum ministerium ipsius spectet ad unionem hypostaticam, ut dignitas Matris Dei: Apostolos itaque in ordine gratiæ gratis datæ, majoribus gratiis fuisse præditos, quia indiguerunt ad exercendum suum munus. Officium autem Divi Iosephi non pertinuit ad novum Testamentum, nec etiam propriè ad vetus, sed ad utriusque Authorem & Consummatorem Christum Dominum, lapidem utriusque angularem, qui fecit utraque unum.

XI. Et certè inquit idem Gabriel ibidem, munus ejus cum extulit supra omnes in actionibus vitæ activæ, quid

enim totâ vitâ gessit quod non proximè attingeret personam Christi Domini. Quemadmodum ergo peccatum eorum qui Christum crucifixerunt, ob Christi dignitatem in se immediatè læsam, fuit in suo genere maximum, utpote Deicidium, quo nihil horribilius, sic & pietas & beneficentia circa eundem fuerunt summi valoris, præsertim in Divo Iosepho, ut in Deiparâ, cum perfectissimam haberet cognitionem & fidem personæ Christi cui inserviebat, & pro quo laborabat, ac consequenter amorem consimilem, ex quo illi ea præstitit, quæ præstitisse diximus & omnibus nota sunt.

Neque solum in vitâ activâ excelluit D. Iosephus, sed & status ejus accommodatissimus fuit ad contemplationem: nam in matrimonio vovit virginitatem, & societas perfectissima sanctissimæ Conjugis maximè serviebat ad perfectionem Religionis & pietatis erga Deum: in quibus adde diuturnam ac continuam cum Christo conversationem, ex cujus ore toties audivit divina mysteria, & verba vitæ: & quam frequenter cum Christo filio suo oravit? Hæc ille Archiepiscopus Doctissimus, nec minus Religiosus & pius.

Roboratur nostra & hujus Archiepiscopi Doctissimi responsio: Nam lib. 8. Constitut. Apostolic. cap. 46. aliàs 52. dicunt omnes Apostoli se elegisse septem Diaconos. Ex quibus, inquit, est Beatus Martyr Stephanus, qui non minus quam nos Deum dilexit. Faciunt ergo hic Apostoli Divum Stephanum sibi æqualem in verâ Sanctitate, quæ in Dei dilectione consistit, quamvis esset inæqualis in munere: ergo non esset temerarium aut improbabile Stephanum Apostolis æquare in sanctitate: sed non esset præter rationem Divum Iosephum Sancto Stephano parificare, immò præferre, ergo &c. Nec quidquam vel in Scripturâ, vel in Sanctis Patribus invenio, quod huic asserto nostro repugnet: Generales enim locutiones Scripturæ aut Patrum, vel intelliguntur de totâ Ecclesiâ novi Testamenti, cujus gratiâ certo certius fuit major & amplior gratiâ veteris Testamenti, vel comparant Apostolos

Apostolos cum aliis Sanctis ordinariis; generalis autem modus loquendi non excludit speciale privilegium ob rationes speciales, quæ in Divo Josepho tales sunt quales nullæ in alio Sancto quantumvis magno.

XIV. Respondeo secundò, comparationem fieri cum illis solis qui eo tempore erant vel post futuri erant, ut ita sicut Apostoli acceperunt gratiam prius respectu istorum, ita etiam acceperint abundantius, non verò respectu aliorum, qui eos præcessere. Confirmatur hæc responsio, quia Apostoli prius per respectum ad illos qui eo tempore vivebant & post futuri erant, receperunt gratiam, & hi dependenter ab illis, non verò prius D. Josepho, prius Mariâ, prius Joanne Baptistâ, prius Eliâ, &c. nec hi dependenter ab Apostolis; Ergo non cum his facta est comparatio, sed cum illis sui temporis, vel postea futuris, qui dependenter ab illis acceperunt, scilicet per eorum orationes, merita, prædicationem, zelum, exempla, constantiam, ministerium, & miracula.

XV. Quoad censuram verò Divi Thomæ in objectione, Respondet Suarez loco citato non posse illam intelligi universaliter, tum propter verba illa Christi Domini de Joanne Baptista, *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ*, & alia multa præclarissima quæ de illo habentur in Scripturâ, & apud Patres & Doctores; tum quia Ecclesia in Canone Missæ post Consecrationem ponit Divum Stephanum ante Divum Matthiam Apostolum. Tum denique etiam ex ipsius Divi Thomæ doctrinâ: ipse enim in cap. 3. Matthæi exponens verba illa: *Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti*; interrogat, *nunquid ergo majores Apostoli Joanne?* & Respondet, *non merito, sed officio novi Testamenti*, quod sumpsit ex Divo Anselmo in eundem locum, qui expressè dicit Joannem non esse minorem in Cælo quàm sint Apostoli, imò esse illis majorem: Ergo non potest D. Thomæ censura generaliter accipi: quod si aliquam admittant loca illa pro Apostolis allata restrictionem, non est cur temerarium aut improbabile sit Sanctum Jose-

phum excipere, quia probabile est illum perfectiorem gratiam assecutum Joanne Baptistâ, quia constat munus Patris & nutricii Christi esse excellentius munere Præcursoris, majorem quæ ex convictu cum illo & sanctissimâ sponsâ habuisse opportunitatem, ac plures occasiones crescendi in gratiâ.

Sed instabis de Joanne Baptistâ asserit Christus disertè, quod inter natos mulierum non surrexit major illo, ergo Divus Josephus natus de muliere, est minor Joanne. Confirmatur ex D. Ambrosio serm. 64. ubi hæc habet: *Præcellit cunctis, eminent univertis, antecedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere est, inferior est Joanne.* Respondet primò, ex verbis Christi non sequi Divum Joannem Baptistam esse omnibus majorem, negat enim hic textus tantum dari aliquem Joanne majorem, non posse assignari aliquem illi parem, ut observant SS. Patres. *Non ceteris*, inquit D. Hieronymus in cum locum, *Prophetis & Patriarchis, cunctisque hominibus Joannem prætulit sed cuiuscumque de ceteris coæquavit*: & Divus Augustinus de quaest. ver. ac novi Testam. quaest. 26. *Non dixit Christus omnibus major est Joannes, sed nemo Prophetâ illo major est, hoc est æqualem habet, majorem non habet: Elias ergo par illi est, &c.* Et lib. 2. contra Adversarios legis & Prophet. cap. 7. *Potuerunt esse Prophetæ aliqui Joanni æquales, aliqui minores, nullus major propter sententiam Domini*, Divus Hilarius Arelatenis homil. 1. *Dicens Christus inter natos mulierum non surrexit major Joanne*, inquit, *non summis priorum, sed primis pronuntiavit æqualem: comparavit itaque perfectis, non prætulit.* Et Venerabilis Beda in Luc. cap. 7. *Non ceteris Prophetis & Patriarchis cunctisque hominibus Joannem prætulit, sed Joannem ceteris æquavit.*

Respondet secundò, hanc Christi XVII. assertionem, *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ*, limitari per Lucam dicentem, *inter natos mulierum non surrexit major Prophetâ Joanne Baptistâ*: unde ex hoc non sequitur Divum Joannem Baptistam omnibus omnino Sanctis esse sanctiorem aut etiam æqualem, sed tantum, Prophe-

ram

tam esse cunctis Prophetis perspicacior-
rem: namque

*Ceteri tantum cecinere vatum
Corde prasago jubar effaturum,
Tu quidem mundi scelus auferentem
Indice prodis.*

XVIII. Dices Ecclesia in eodem Hymno
precedenti metro sequens assuit.

*Non fuit vasti spatium per orbis
Sanctior quisquam genitus Ioanne,
Qui nefas saceli meruit lavantem
Tingere lymphis.*

Propter hoc argumentum quod à
priori nihil differt, Respondeo tertio,
comparationem Sancti Præcursoris ut
& precedentem Beatorum Apostolo-
lorum cum cæteris Sanctis; intelligi
de illis qui non sunt extra omnem Or-
dinem Sanctorum: at Divus Iosephus
cum Sponsâ suâ est extra omnem or-
dinem aliorum, & constitutus cum il-
lâ in ordine unionis hypostaticæ cum
Christo; ergo non potest fieri compa-
ratio cæterorum qui sunt in inferiori-
bus ordinibus cum illo.

XIX. Illustratur hæc Responsio exemplo:
verbi gratiâ si de Principe primæ Fami-
liæ alicujus regni quis diceret, illum
esse omnium istius regni Principum
primum, & nullum illo illustriorem:
per hoc non deberet intelligi aut in-
ferri ipsum esse Rege, Reginâ, aut Del-
phino aut Infantæ Regio Nobiliorem,
quia in similibus comparationibus Rex
& proles ejusque Pater & Mater ac con-
jux non veniunt in comparisonem
cum illis: sed intelligitur esse major
totius regni per comparisonem ad
alios Principes & nobiles cum quibus
benè potest comparari. Ita in hoc ca-
su Divus Ioannes Baptista (idem dic-
de Sanctis Apostolis) per comparatio-
nem ad omnes alios Sanctos, de quo-
rum ipse classe est, major omnibus esse
potest, aut saltem tantus ut nemo illo
major: sed ad Christû, B. Virginem, &
D. Iosephû qui sunt extra omnem com-
parationem, cum sint extra omnem a-
liorum ordinem, & constituent ordinem
seorsim, qui dicitur unionis hypostaticæ;
non ita est, nec sic prudenter explicari
comparatio potest, cum non sit cõpara-
tio nisi inter res que sunt ejusdè ordinis.

XX. Potest iterum probari magnitudo
Divi Iosephi in gloriâ supra omnes

coelites eo argumento quo Pater Dea-
ponte Ord. Cleric. Regul. Minor. in
sapiens. Salomon, cap. 10. num. 13.
hom. 22. ubi sic ille: Et meritò quidem
supra cæteros D. Iosephum elevat Deus
in cælis, qui in terris plus ei dedit
quàm omnes simul: Petrus ait Chri-
sto, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti
sumus te quid ergo erit nobis?* Matth. cap. 19. num. 27. sed quid reliquerat Petrus?
Certè pauca, verum cum maximo af-
fectu: *Hunc*, inquit Origenes. *Affectû*
in Matth. *Deus ponderavit non censum,*
est enim minima cum fratre reliquit, sed
non minima estimata sunt apud Deum
*considerantem quoniam ex tanta plenitu-
dine dilectionis illa minima reliquerunt,*
ut etiam si multas habuissent possessiones
omnia reliquissent. Ita Origenes. *Affectû*
ergo Domino obtulit Petrus, & quia
hic magnus, etiam si illa minima in
se, maxima apud Deum; sic maxima,
ut propter illa principatum his in cælis
contulerit, juramento firmans quod in
regeneratione, cum sederit filius homi-
nis in sede majestatis suæ, & illi sessuri
sint cum eo in thronis: per quod ineffabilem
intellexit honorem, ineffabilem
gloriam; honorem enim & gloriam
ineffabilem significavit per Thronos
ait Chrysofomus sanctus homil. 6. in
Matthæum: *Cum ergo minima dans,*
si cum magno affectu Dei, sunt
maxima, & remunerantur ut maxima:
Et quia sic Petrus dedit sua quamvis
minima, Principatum meruit in terris,
& Thronum in Cælis: Ergo si aliquis
esset qui cum majori effectu non mini-
ma, sed maxima, sed propè infinitum
daret, nonne ex ratione is supra Pe-
trum? Atqui Divus Iosephus non na-
vigium, non rete, ut Petrus & Apo-
stoli, sed Virginem Sanctissimam, sed
Mariam Dei Genitricem, jure Divino
per matrimonium suum, sibi que dile-
ctissimam Deo dedit: Pende Mariam
si potes, & meritum scire poteris Divi
Iosephi ea se privantis propter Deum,
simul & gloriam: Sed quid plus ultra?
Theologorum est axioma, Deum pu-
nire citra, remunerari ultra condig-
num: Mensuram bonam, confertam,
coagitatam, & superfluentem dabunt in
scium vestrum. Luc. cap. 6. num. 38.
Quod si hic est Dei mos, audi nunc
mirabile

„mirabile: id quod Divus Josephus de-
dit Deo, fuit Maria, Deus retribuit ul-
tra condignum, ultra datum abun-
danter, superfluentem: qualis ergo erit
hujus Sanctissimi Viri gloria? Profecto
si ultra datum sit pensitanda, erit utri-
que immensa. Hic sisto, quia quid ul-
tra addam non habeo. Hæc est istius
Authoris argumentatio.

XXI. Ultimam argumentum excessus
gloriæ Divi Josephi supra ceteros Bea-
tos sumitur ex eo quod probavimus
Capite precedenti, quod scilicet ipse
resurrexit & cum Christo Filio suo
ascenderit ad cælos, ibique sit in cor-
pore & animâ cum illo & sponsâ suâ,
non verò Joachim aut Anna, non Pe-
trus, non Paulus, non ipse Joannes
Baptista, cum horum Reliquiæ extant,
& reperiantur in terris, argumentum
est enim istud evidentissimum ipsum
pluris apud Filium esse quàm illi.

XXII. Dices alii etiam Sancti surrexerunt,
& corpore ac animâ cum Christo af-
cendente ascenderunt ad Cælos, er-
go sequeretur etiam ipsum Divum Jo-
annem Baptistam esse istis minorem:
sed hoc est falsum propter dictum
Christi, *Inter natos mulierum non sur-
rexit major Joanne Baptista*. Ergo & il-
lud unde sequitur. Respondeo obje-
ctionem habere aliquid appatentiæ:
verumtamen eâ ad trutinam adductâ
dico etiam per illam nostrum assertum
fulciri. Etenim nec nori sunt, nec Deus
voluit esse notos illos alios, qui etiam
surrexerunt, & cum eo ascenderunt in
cælos, in quibus nulla erat ratio du-
bitandi contra majoritatem notissimam
Divi Joannis Baptiste supra illos:
Sed cum potuisset formari dubium
pro eadem majoritate Sancti Joannis
Baptiste supra Divum Josephum, ideo
noluit Deus Joannem resurgere sicut
ille resurrexit, ut per hanc distinctio-
nem omninò evidentem tolleretur
istud dubium, & maneret certum, Di-
vum Josephum in gloriâ omnes Bea-
tos solâ Virgine uxore suâ exceptâ
superare.

XXIII. Itaque de illo dicendum verificari
quod de Joseph Antiquo, qui illius fi-
gura fuit, in typo dictum est Genes.
cap. 41. *Tulit Rex annulum de manu suâ
& dedit eum in manu ejus, & vestivit*

*stolâ byssinâ, & collo torquent auream cir-
cumposuit, & fecit ascendere super cur-
rum suum, clamante preconem ut ei omnes
genusflecterent.* Hæc fecit Rex Pharao
Josepho filio Jacob & Rachelis: idem
Deum fecisse Josepho nostro Patri
JESU & Mariæ Sponso quis infi-
ciabitur? Stola byssina cum torque au-
reâ, quâ donatus est antiquus Joseph
à Pharaone, designat specialem glo-
riam quâ donatus est ab æterno Cœli
Rege noster Joseph. Annulus aureus
quem Rex tulit de manu suâ, & dedit
in manu Josephi Pro-Regis Ægypti,
annulus signatorius erat, ut quâ ipse
vellet decerneret & obsignaret autho-
ritate Pharaonis. Sic Rex Æternus
annulum suum signatorium in pore-
state Divi Josephi posuit, ut quæcum-
que voluerit suis Clientibus concedat
& obsignet autoritate Dei. Fecit De-
nique Rex Pharao Josephum Pro-Re-
gem Ægypti ascendere super currum
suum, clamante preconem, ut ei omnes
genusflecterent: Hoc significabat Di-
vum Josephum per antiquum illum
figuratum, elevandum ad ordinem hy-
postaticæ unionis in quo Deus ipse
est: & in quo constitutus, non ab uno,
sed à tot preconibus, quot sunt ho-
die Doctores, Interpretes, Predicato-
res, tantus proclamatur, ut ei omnes
quotquot sunt de Regno Dei, tan-
quam illi inferiores genuflectere de-
beant. Sic respondet umbra corpori,
figura veritati.

Quare hoc argumentum concludo X XIV.
cum his versibus devoti cujusdam Poë-
tæ apud Isidorum Hisolanum in fronte
sui Operis de Sancto Josepho.

*Cum similibus similem deceat, nutuq;
superno*

*Virgo Parensq; Dei nupsit Alma Jo-
sephi:*

*Collige quantus erat, merito quo vice-
vit omnes?*

*Et fuerit tantum dignus habere decus,
Ac natum curare Dei, Genitorq; vocari,*

*Complecti, & sacro sepius ore peti:
Et facile accipies ut primum Sponsa,*

sequentem

In superis Sponsus sic habet ille loci.

Quibus similia pangit alius recens X X V.
Poëta Gallus suo naturali cothurno
hoc modo.

Sff

Que

*Que le iour est heureux, celebre à l'univers,
 Auquel la Vierge Mere en la gloire enlevée,
 Des Celestes passant tous les Ordres divers
 Au degré le plus haut des Cieux est arrivée:
 C'est là je crois Ioseph: si nous avons icy
 Des choses de là haut quelque apparente trace
 Que votre Nourrison, & votre Eponse
 a esté,
 En un thrône aupres d'eux vous ont fait
 prendre place.*

CAPUT VII.

*An Aureola Divo Josepho
 tribuenda?*

- I. **A**UREOLAS tres communiter statuunt Theologi, nec plures nec pauciores: quarum prima est pro Martyribus: secunda pro Virginibus; tertia pro Doctoribus: Sunt enim tres pugnae insignes, sicut sunt tres praecipui salutis nostrae hostes; Caro, Mundus, Diabolus: & Aureola est singulare praemium singulari contra praenominatos hostes respondens victoriae. Et quamvis omnes contra eos pugnare debeant legitime si velint coronari, tamen ubi est praecellens ratio victoriae, ibi debetur specialis corona, quam Aureolam vocamus.
- II. In pugna quae est contra carnem, ille potissimum victoriam obtinet qui a delectationibus veneris, quae sunt praecipuae inter voluptates carnis, omnino abstinet: Atque ad hoc qui perpetuo virgines permanent, Aureolam donantur: ut colligitur ex Apocalypsi cap. 14. ubi dicitur quod centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra, quia non sunt cum mulieribus coinquinati (Virgines enim permanentes,) cantabant Canticum Deo, quod nemo alius cantare poterat.
- III. Objicies, ubi est maior difficultas in opere, ibi debetur majus praemium, & Aureola est propter majorem victo-

riam, quae sequitur ex majori pugna: Sed majorem sentiunt viduae difficultatem in abstinendo a voluptatibus veneris, quam virgines, ergo viduis potius quam virginibus assignandum esset istud aureolae genus. Probatum minor ex Aristotele lib. 7. de Animalibus cap. 1. tit. 4. ubi docet quod juvenes corruptae magis appetunt coitum propter rememorationem delectationis: & Divus Hieronymus in epist. ad Geruntiam de Monogamia dicit, quod quanto major est difficultas quorundam a voluptatibus abstinere, si abstinent, tanto majus est illorum praemium, & loquitur ibi in commendationem viduarum.

IV. Respondeo cum Divo Thomae in Supplemento quaest. 96. art. 5. ad 1. quod in continendo secundum aliquid majorem pugnam sustinent Virgines, & secundum aliquid Viduae: Virginibus enim concupiscentiam inflammatae experiendi desiderium, quod ex quadam quasi curiositate procedit, quae etiam fit, ut homo libentius videat quae nunquam vidit: Et etiam quandoque ejus concupiscentiam auget aestimatio majoris delectationis quam sit secundum veritatem, & inconsideratio eorum incommodorum quae delectationem hujusmodi sequuntur: Et quantum ad hoc Viduae minorem sustinent pugnam: majorem autem propter delectationis memoriam.

V. Sed quidquid sit de quantitate & difficultate pugnae, hoc tamen certissimum est; quod perfectior est victoria Virginum quam Viduarum; perfectissimum enim genus victoriae est, & pulcherrimum nunquam hosti cessisse: Corona autem non debetur pugnae, sed victoriae.

VI. In pugna vero quae est contra Mundum, illa est praecipua victoria, cum a mundo persecutionem usque ad mortem quis sustinet: unde & Martyribus, qui in ista pugna victoriam obtinent, haec aureola retribuitur: Nam Apocalypsi cap. 7. dicuntur *Amicti stolis albis, & palmae in manibus eorum:* Quod de Martyribus intelligendum: Nam additur, *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas*

- VII. *Solas suas in sanguine Agni.*
Tandem in pugnâ quæ est contra Diabolum, illa est præcipua victoria, cum aliquis hostem istum non solum à se, sed etiam à cordibus aliorum remouet, quod fit per doctrinam, exhortationes, & Prædicationem: & ideo Doctoribus tertia Aureola assignatur. De his enim dicitur Danielis cap. 7. *Qui ad iustitiam erudunt multos, fulgebunt quasi stelle in perpetuas æternitates.* Et Matthæi cap. 5. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.* Dices omne præmium quod in futuro dabitur, alicui actui virtutis respõdet, sed prædicare vel docere non est actus alicujus virtutis, ergo &c. Respondeo quod prædicare & docere eo modo quo de illis hic, sunt actus alicujus virtutis, scilicet misericordiæ & charitatis, unde & inter spirituales eleëmofynas computatur.
- VIII. Quidam verò, inquit Divus Thomas in Supplem. ad 3. partem quæst. 96. art. 11. in corp. distinguunt illas tres aureolas secundum tres animæ partes, Rationalem, Irascibilem, & Concupiscibilem, ut dicantur tres Aureolæ respondere præcipuis trium animæ virtutum actibus. Potissimus enim actus Rationalis, est veritatem fidei etiam in alios diffundere: & huic actui debetur aureola Doctorum. Irascibilis verò, virtutis actus potissimus, est mortem propter Christum superare, & huic Actui debetur aureola Martyrii: Concupiscibilis verò actus potissimus est à maximis delectationibus carnis abstinere penitus, & huic debetur aureola Virginum.
- IX. Alii verò illas tres aureolas distinguunt secundum ea quibus Christo nobilissimè conformamur. Ipse enim veritatem quam à Patre acceperat mundo manifestavit, & sic fuit Doctor: ipse à Judæis persecutionem & mortem in Cruce propter Prædicationem veritatis pertulit, & sic fuit Martyr: Ipse puritatem in seipso consecravit, & sic fuit Virgo: Et ideo Doctores, Martyres & Virgines ei perfectissimè conformantur, unde talibus aureola debetur.
- X. Porro illis tantum Virginibus propriè aureola debetur, quæ propositum

habuerunt virginittatis perpetuò servandæ, sive hoc propositum voto firmaverint, sive non: quod etiam intellige etsi propositum illud fuisset interruptum, dummodò tamen integritas carnis remanserit, & illa interruptio non inveniatur in fine vitæ, quia Virginitas mentis reparari potest, non item carnis. Ita Divus Thomas 3. part. quæst. 96. artic. 5. in corp. Poncius Curs. Theol. tractat. 5. disput. 19. quæst. 19. & alii.

Martyrii verò aureola illis solis datur, qui pro Deo, sive fidei tuendæ, sive virtutis alicujus, aut conservandæ in se, aut defendendæ in aliis gratiâ mortem subeunt, aut vulnus, poenamve aliquam ex naturâ suâ mortalem patiuntur, aut in carcere ob eandem causam ex inedia aliarumve ærumnarum incommodis moriuntur. Requiritur tamen communiter in eo qui debet censeri Martyr animus illa quæ supra ob eum finem sustinendi: Licet non negem si in odium fidei abejus hostibus aliquis Orthodoxus dormiens interficiatur, esto antea nihil adverterit, aut cogitaverit de istâ morte, non minùs hanc aureolam consecuturum, quàm Sancti Innocentes, qui supponuntur communiter eam adepti, modò tamen non habuerit ante animum non patiendi pro tali causâ mortem.

Doctores tandem quibus tertia debetur aureola, non sunt tantum Prælati Ecclesiarum quibus competit ex Officio prædicare & docere, sed omnes qui licitè hunc actum exercent: Prælati autem non debetur quamvis incumbat officium prædicandi, nisi actu prædicent, quia corona non debetur ei qui potest pugnare, sed actualiter pugnanti, juxta illud 2. ad Tim. cap. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Ita Divus Thomas citatus art. 7. in corpore. Itaque hujusmodi Doctores in cælo laureandi sunt, qui excellenter, generosè, infatigabiliter sive verbo, sive scripto, sive utroque modo erudiant alios ad iustitiam: si propter Deum, non propter lucram, aut vanam ostentationem id faciunt: ita Poncius loco citato.

Ex his autem majorem esse Martyrum Aureolam omninò fatendum est:

Sff 2

Primò,

XI. 3

XII.

XIII.

Primò, quia si vitam ipsam pro Deo exponunt & de facto ponunt, alii non nisi aliquem laborem. Secundò, quia eminentia quæ attenditur ex parte pugnae est Aureolæ essentialior, quia Aureola secundum propriam rationem respicit pugnam & victoriam: Difficultas etiam pœnæ, quæ attenditur ex parte ipsius pugnae, est potior quam illa quæ attenditur ex parte nostri: Atqui Martyrium pugna est fortior secundum seipsam; ergo simpliciter & absolute loquendo Aureola Martyrum est inter omnes potior: & idè dicit Glossa Ordin. in Matth. cap. 5. quod in octavâ Beatitudine, (*Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum,*) quæ ad Martyres spectat, omnes aliæ perficiuntur, & propter hoc etiam Ecclesia in Commemorationibus Sanctorum Martyres Doctoribus & Virginibus anteponit. Ita D. Thomas citatus.

XIV. Hanc triplicem Aureolam dant plurimi Divo Iosepho: Et primò quidem quod spectat Aureolam virginum res videtur per se clarissima part. 2. ubi ipsum mente & corpore perpetuò virginem probavimus, ac quanta fuerit corporis & animi ejus puritas ostendimus, & præterea fuit Custos Virginis eo mirabilius, quò formosior fuit super omnes mulieres Virgo superbenedicta ei in matrimonium & Custodiam tradita, & ab eo immaculatissimè custodita.

XV. Secundò, nec Doctorum Aureola videtur ei neganda, asserunt quippe illorum nonnulli etiam ipsum Apostolum, qui quâ licuit apud Ægyptios & Judæos fontem quem apud se habebat manifestavit, & publicavit. Videndi hæc super re Sanctus Hilarius apud D. Thomam in Catenâ. S. Hieronymus & Venerabilis Beda in cap. 2. Matthæi, & Noster Dorotheus à Sancto Renato in suis Comment. in lib. Reg. & Apocalypf. tom. 1. lib. 3. quæst. 15. sect. 2.

XVI. Tertio, & Martyrii Aureolam illi quoque concedendam hoc modo probat inter illos qui supra scriptores Doctor Matthias Navæus lib. cui titulus Sponsus Virginis tit. 13. paulò post med.

Instante Christi Passione, inquit, turbati dispersique sunt Apostoli, qui & Domini de Passione sua præloquentis in Jerusale comitatum formidare solent. At ubi timiditatis vel incòstantiæ notam Christi nutricius incurrit? qui & furente Herode Christum adhuc infantem, neque adhuc miracula facientem in Ægyptum, longo, asperissimo itinere portandum suscepit, & ante perceptâ Herodis post Magorum reditum ferociâ, Jerusalem tamen venire, puerumque in templum ipsum Jerosolymitanum ad Purificationis legem peragendam comportare non trepidavit, verum mortis timoribus, morteque ipsa fortior Beati Iosephi dilectio fuit, quandoquidem tam sævi draconis furibundâ contemptâ ferociâ, puerum ad legalia circa eum observanda in Jerusalem conferte non præmitteret. De quo & Beatus Thomas in Catenâ in cap. 2. Matthæi: *Et quamvis, inquit, post Rabanum, timerent Herodem, tamen non sunt ausi transgredi legem qui ad templum puerum deferrent.* Quare si non effectu, animo tamen paratissimo affectuque zelosissimo Martyr Christi, immò & affectu isto Proto-Martyr fuit ex tunc cum Virgine: sæpius etiam varietate operibus ipsis in corpore & animo suo durissima perpessus, fuit certè Confessor intrepidus, qui Christi causâ extorris per plures annos apud Barbaros alienigenas vixit: fuit Martyr cui dulce fuisset mortem pro Christo inter Herodianorum Satellitum, potius carnificum manus oppetere.

Verum enimverò, Dico primò, cum P. Arriagâ & P. Poncio mox citato satis parvum esse fundamentum illas Aureolas particulares asserendi, & præsertim illas reducendi ad ternarium numerum, nec majorem: nam ut Theologi hunc præcisè numerum Aureolarum statuentes, illi colligunt ex allatis pro Martyribus, Virginibus, & Doctoribus, Scripturæ locis: Cur non posset etiam colligi ex remuneratione particulari quam promisit Christus relinquentibus pro se Patrem & Matrem, & se sequentibus sub Religiosæ vitæ vexillo Aureola particularis? Et cur virginibus perpetuis tribueretur

retur Aureola particularis; & non iis, qui innocentiam servatam, totam vitam in arctissimam tamen poenitentiam traduxerunt? & sic de aliis.

XV III.

Dico secundò, sed etsi cum communi Theologorum choro sentientes, admitteremus dari illas Aureolas particulares, nonnisi tamen valde improprie essent in D. Iosepho: de duabus, scilicet Martyrum & Doctorum, constat: de Aureolâ verò Virginum, etsi propriissimè & sublimissimè inter omnes homines post sponsam suam Virgo permanserit, quia tamen de illis Virginibus, qui illâ Aureolâ insigniuntur dicitur, quod Agnum sequuntur, id est Jesum, quocumq; ierit, Divus autem Iosephus Agnum istum portavit, non de illarum Virginum numero est, sed transcendit, quare valde improprie, nec ad Theologorum istorum mentem hæ tres Aureolæ Divo Iose-

pho competunt.

Dico ergo tertio, nec etiam necessarium est ad Divi Iosephi gloriam eas illi vindicare; quia etsi Aureolæ istæ dantur ad ornamentum particulare & distinctum Sanctorum hujus & illius classis ab aliis; Divus tamen Iosephus ad hoc illis nequaquam indiget, quia suam gloriam incomparabili satis ab aliis Sanctis quantumvis magnis distinctus est: Cum enim sit, ut diximus extra omnem comparationem, ita ut unum ordinem cum sponsa sua, & Christo filio suo constituat, non eget alio ornamento distinctivo: ipsius enim gloria tota quanta est, cum sit extra omnem comparationem, & ponat eum extra ordinem aliarum creaturarum, eum sufficienter ab omnibus aliis discernit & separat, & sic tota ipsius gloria, singularissima ipsi Aureola est,

XIX.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE CULTU SEU Invocatione Divi Iosephi.

HIC à gloria internâ Divi Iosephi quam in se habet, sensim dilabimur ad externam, quæ illi debetur & à nobis ei defertur ratione istius prioris, quâ in se Beatus est: de quâ ejus gloria externâ, id est Cultu, suppositis illis quæ de Invocatione Sanctorum in genere docent solidissimè noster Thomas Waldensis, Cardinalis Bellarminus & alii sine numero: Tria illi specialia hic tractatum imus. Primum, de ipso Cultu, id est de illius ortu, progressu, & statu. Secundum, de modo eum colendi. Tertium, de motivis. Igitur sit

CAPUT PRIMUM.

Quid cause est quod cum Divus Iosephus sit tantus, tandem tamen latuit, eique debitus ex meritorum culmine honos tam tardè delatus?

UALE fuerit præteritis retro sæculis in Ecclesiâ de Divi Iosephi vitâ beatâ silentium, quis ignorat? egregia illius facinora denso velamine operatâ fuere, alto pressâ secreto ejus magnalia summa

S II 3

summa

summa: an non merito hoc plures tenet attonitos?

II. Quod vita ejus hinc fuerit abscondita cum Christo in Deo transeat, amat Sancti hinc sub humilitatis latere spario: sed quod illa foelix & Beata Caelo clausa fuerit, & tot retrò sæculis terris ferme incognita, quis non vehementer miretur? nam si ut hætenus fuscè ostendimus, ille fuit supra cœlites omnes à Christo prædicto filio suo electus & dilectus, nempe ut Pater, ergo ex justitiæ dictamine nobis etiam debet esse præ illis amabilis. Cur ergo non in eo pretio ab illis qui nos præcesserunt habitus?

III. Abièrè tot sæcula cum Magdalena, Augustini, Pelagiæ, Mariæ Ægyptiacæ, Cypriani, ex peccatoribus Sancti, ex magis Martyres effecti, in Ecclesiâ colebantur, de illis festi dies, sacrique fiebant cantus, extabant memoriæ, Templâ, Basilicæ, Statuæ, votiva anathemata, &c. de Divo Iosepho vix ulla mentio, vix unum tribus aut quatuor sæculis antiquius Cultus externi monumentum. Quot Sanctis statim à morte delati divorum honores volente & promovente Deo? nonne Divo Alberto Carmelitæ necdum tumulato, jacentibus adhuc in feretro & in medio Templi Choro Sacri Corporis exuviis, duo Angeli summo tenuem per auram æthere lapsi, Missam *Os Iusti* pro Missâ *Requiem*, coram Archiepiscopo Messanenfi & Clero, Rege Siciliæ & Curia, Magistratu & Plebe intonantes, Cultum Sancti protinus ei adhibendum indicarunt? Si ergo D. Iosephus tantus est, quantum fecimus illum in præcedentibus, cur non idem huic quod illi vel istis præstitum? cur non ejus merita citò ut illorum detecta?

IV. Si respondeamus alia multa similia inventi in historiâ Ecclesiasticâ inter illâ nostrâ ætate id est circa annum 1625. Beata Rosaliæ Virginis Panormitanæ corporis exuvias nonnisi post 500. annorum latebras Deus Opt. Max. patefecit, & miraculorum multitudine & gloriâ ad salutem Siciliæ totiusque Italiæ coruscare fecit, dum per eandem communem pestis luem omnia populantem stitit & sustulit:

quibus sexcenta alia similia addere possem, sed supersedeo, tunc quia unicuique sunt obvia & possunt esse facile nota; tum quia brevitati studens causam non paginam implere ambio: nulum tamen tale ut D. Iosephi qui omnibus major diutius tamen omnibus ignotus in obscuro delituit. Quid ad hoc?

Respondeo primò, certum est Ecclesiam tunc non ignorasse aut Deum ignorari voluisse magna hujus Sanctissimi inter omnes Viri merita, sed voluit tunc tantum tegi: ex quo nihil amplius ei de suâ magnitudine decessit quam Deo qui per tot annorum millia fuit majori orbis parti incognitus, immò vilissimus creaturis qui pro ipso colebantur posthabitus. Quomodo enim illa ejus merita & quam clarè patefecit tunc Divo Augustino & aliis? quomodo & quam clarè Divus Augustinus ea nobis in scriptis suis manifestata reliquit? sed noluit tunc Deus ut nunc ad ista attendi, quare hoc? certè cum Deus ita tunc detexerit, non tamen tunc ita attendi voluerit, non est dubitandum quin hoc ex particulari Divinæ Providentiæ ordine processerit: Porro ex tunc ita detexit ut videremus non fuisse tunc ab eo neglectum, sed noluit tunc ut nunc ejus merita à se detecta attendi, ut si non videamus, saltem palparemus ipsum habuisse justissimas causas ita faciendi: & hoc nobis sufficere debet, *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit?* Rôm. c. 11. vers. 34. verumtamen post subjugatum & captivatum in obsequium fidei intellectum, ei aliquid concedendum quo certo modo in hoc dubio quietari possit. Quare

Respondeo secundò, Deus homo factus per 30. annos totos ita latuit, ut nesciatur quid toto illo tempore egerit: & postea ita divinitatis suæ radios cohibuit, ut nonnisi paucissimi eum cognoverint, & Joannes Baptistâ, qui non erat dignus ei corrigiam calceamenti, solvere, ipsi tamen prælatus fuerit, quandoquidem adhuc non ad istum miserunt Judæi Sacerdotes & Levitas, ut ex ejus ore acciperent an Messias esset? Et 2. Reg. cap. 23. vers. 8. dicitur non de Davide, ut voluerunt aliqui,

aliqui, sed de primo Davidis Duce, & qui primus in fortitudine habebatur, ut vult Glossa Interlia. Vatablus, nos Sylvester in Apocalypsim tomo 1. cap. 3. quæst. 17. numer. 138. & alii. *Sedens in cathedra sapientissimus Princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno: post hunc Eleazar filius Patru eius Abobites, inter tres fortes, qui erant cum David quando exprobraverunt Philistiim, &c. Et post hunc Semma filius Agæ de Arari, &c.* Ecce cum Ducum quos habuit David nomina exprimantur, ille solus qui inter illos erat primus sine nomine refertur & ignoratur. Eadem ratione latuit Divus Iosephus qui tamen est primus, ut hinc sermo discamus præstare esse Illustrem virtute quam nomine, mereri laudem, quam accipere, quodque verè ille magnus est, qui coram Deo talis est, etsi ignotus sit omnibus hominibus. In Divo ergo Iosepho præparavit nobis Deus summum exemplum, ex quo disceremus laudes, existimationem, etiam quæ à viris probis & spiritualiter examinantibus proficiscuntur, non esse magnificendas, curari non debere iudicia & gloriam quæ cum tempore volvitur, sed eam quæ perstat cum *Ævo sempiterno*: Vita nostra abscondatur cum Christo cum Mariâ cum Iosepho & lateat in Deo, nisi Deus voluerit illam manifestari, contenti videri, contenti cognosci à Patre, à Deo, qui videt in abscondito, & cui nullum secretum latet.

VII. Dico tertio, quod in naturâ non ita pridem (ut tamen ait *Balzac* in suo *Socrate Christiano Gallicè conscripto* disc. 10.) inventum esse genus aromatis omnium præstantissimum, cui nomen apud Gallos *Ambregris*, cuius, inquit Scriptor ille, nullum apud Græcos nisi recentiores reperies vestigium, pigmenti genus toti Antiquitati, Romanæ etiam quamvis Judaicæ longè posteriori omninò ignotum, non quod non existeret tunc in rerum naturâ: sed quia nondum in cognitionem & cõmercium hominum venerat: factus erat quem per millena annorum lustra natura in suo sinu absconditum tenuit, quodq; & Græcorum & Romanorũ luxur

ac deliciis defuit, cum nec his, nec illis vocabulum suppetat quo thesaurum illum expriment. Delicium itaque fuit posteritati reservatum, ultimum fortè munus quod orbi natura habebat offerendum. Quidni gratiam dicam eodem fermè modo Divum Iosephum meritis adeò sublimè, ut nullus illi æqualis, tam diu nobis occuluisse, raram ex eo munus nostris factura temporibus? An hoc ita contemnendum?

VIII. Dico quarto, Ecclesia in modo colendi Sanctos non semper nititur majori Sanctitati, ut notat Suarez in 3. part. Divi Thomæ quæst. 29. art. 1. & 2. disput. 8. sect. 2. Nec quod ille sit semper Sanctior, de quo Ecclesia majorem facit solemnitate, minus Sanctos de quo minorem, ut patet primò in Divis Stephano & Laurentio, quorum Festa majori ritu celebrat, quam plurium Apostolorum. Secundò, ex Divo Augustino serm. 20. de Sanctis, ubi docet. *Post illum Sacrosanctum Domini Natalis Diem, nullius hominis nativitatem legimus celebrari, nisi solius Iohannis Bapt. s. e.* Et Sermon. 21. *Natalem Sancti Iohannis, Fratres Charissimi, hodie celebramus, quod nulli unquam Sanctorum legimus fuisse concessum: solus enim Domini & Beat: Iohannis dies nativitatis in universo mundo celebratur & colitur.* Non ergo tunc Divæ Virginis Dies Natalis celebrabatur: an propterea Divus Iohannes Baptista major Beatâ Virgine? aut ejus Nativitas Sanctior Beatæ Virginis Nativitate, quia illa primis sæculis celebrabatur, non verò hæc? Tertio, quid comparandum Sanctissimæ Trinitati? an ipsius Festum tantâ pompâ & solemnitate celebratur quâ alia etiam nonnullorum Sanctorum? Quot deindè sæcula transierunt antequam hoc Festum celebraretur, cum interim Sanctorum memoria ageretur? quibus addo quod quemadmodum *Campanilla* (quæ teste Plinio genus est floris campestris) est rudimentum naturæ lilia facere adâscens, ita tot millium Sanctorum cultus, Deo volente, præcedere debuerunt, ut in illis disceremus quem Divo Iosepho adhibere debebamus.

Dico quinto, Resolutio hujus dubii sumitur

IX.

sumitur

sumitur ex ipsa ratione dubitandi: cur dubitatur quare tamdiu latuerit Divus Iosephus, nisi ob ejus supereminentem excellentiam? Sed hæc ejus excellentia, quæ in hoc est quod sit Sponsus Deiparæ & Pater JESU, est ipsissima ratio cur debuit latere: Nempè periculolum videbatur rudibus ad Fidei Mytheria Gentibus, Divum Iosephum magnopere predicare, cujus commendatio Virginei partus fidem obscurare & talibus difficilem reddere potuisset. Secundò, cum priorum Ecclesiæ sæculorum Hæretici non pauci prætractè negaverint Virginis Matris integritatem, & Filii ejus Divinitatem; alii ejusdem Virginis Maternitatem; alii aliis multiplicibus modis suggillarint Dominicæ Incarnationis Mysterium, sub quorum dogmatibus tamdiu Sancta gemoit Ecclesia: Quid quæso contigisset si illis temporibus tam apertè de Divi Iosephi cum Deiparâ Conjugio ut nunc disputatum fuisset & resolutum? Quid dixissent tenebriones illi qui asseruerunt Divum Iosephum esse Christi Patrem naturalem? Cum veri Martyres tunc pro defensione novæ Legis & nascentis Religionis mortem constanter oppeterent, utilius tunc illi videbantur proponi honorandi ad excitamentum Fidelium in medio persecutionum constitutorum. Sed fide jam satis roboratâ & Ecclesiastici honore cultus ad eos laudabiliter traducto qui citra sanguinis effusionem egregiis præluxere virtutum exemplis, cessantibusque aut potiùs profligatis omnibus contra Verbi Incarnationem & Virginis integritatem hæresibus, cessavit & causa de eo tacendi, videturque fuisse rationi consentaneum, ut non amplius prætermitteretur ille cujus tanta laus est in Evangelio. *Certe*, inquit Divus Bernardinus Senensis serm. 3. de Sancto Iosepho, *velo olim in Ecclesia regebatur quanta dignitatis & sanctitatis esset Ioseph Sponsus Virginis, & Pater Christi putativus: sed scissum est velum Templi à summo usque deorsum, & per fidem Christi sacrosancta Mytheria Orbi universo patuerunt: & in hoc Cælorum regno, idest Ecclesiâ apertum est Dei Templum, & facta sunt fulgura & voces Concionatorum, & secute*

sunt voces Doctorum, quæ de tanto & Sanctissimo Iosepho tonuerunt, &c.

Dico sexto, cum Deus Ecclesiam suam gradatim & sensim perficiat ut docet Divus Gregorius Magnus in Ezechiel. homil. 16. & notare est ex eventis quotidianis, novis Conciliorum Oecumenicorum successu temporum habitorum decretis & Sanctionibus, nonne oportuit quod necessaria præirent utilibus? Ergo sicut fuit tempus quando debuit permitti ut Divus Iosephus putaretur Pater JESU generatione, ne ipse spurius, Mater infamis haberetur: ita fuit tempus quando debuit tantum Pater Putaticius dici & haberi, ut Matris Virginitas, Filii Divinitas melius stabiliretur: quibus demùm perfectè constitutis tanquam Fidei & Religionis nostræ primatiis fundamentis, submotisque omnibus adversum hæc dubijs & periculis, fuit tempus quo debuit ei honores redderetur, talisque ab omnibus haberetur qualis revera est, idest nec amplius Pater generatione, quod nimium est, nec putaticius tantum, quod nimis parum est, sed modo medio inter utrumque, eo scilicet quo supra Parte 2. Tract. 2. explicuimus.

CAPUT II.

Figuris etiam hic Divi Iosephi præposterus cultus representatus est.

IN principio in quo tantum erat Verbum, in immensis illis incogitabilium seculorum initiis, prædestinavit Deus Pater Divum Iosephum Verbi sui ac Filii Patrem aliquando futurum, & idem ipsi quod sibi competeret nomen, ut quemadmodum ipse est Pater Verbi Increati, ita ille ejusdem Verbi Incarnati Pater diceretur, idque ex vero & ex merito. Hinc fit quod sicut in Augustissimâ Trinitate Increatâ Pater Æternus est prima Persona primitate originis & ordinis non dignitatis aut temporis, nam secundum hoc; In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed

sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt & coæquales, ex Divo Athanasio in Symbolo, ita in sublimissimâ Trinitate creatâ Divus Josephus primus est non dignitate, sed origine & etiam ordine: Origine quidè quia ut habilior esset & aptior ferendo oneri familiæ, custodiendæ Virgini, educando Salvatore prior ortus est: Ordine verò, quia Vir caput est Mulieris, & Pater Filii: Undè erat subditus D. Josepho Jesus, Lucæ cap. 2. vers. 51. Subdita Maria, ut patet ex ejus loquendi modo ad Filium suum, ibid. vers. 48. *Ecce Pater tuus & ego dolentes querebamus te: Et uterque Deo ita volente; propterea enim Angeli non ad Mariam aut ad Christum, sed ad Josephum tanquam utriusque in familiâ caput mandata Dei in iis quæ hunc & illam tangebant, detulerunt. Surge & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, &c.* Matth. cap. 2. vers. 13. *Surge accipe Puerum & Matrem ejus & vade in terram Israel, &c.* Ibid. vers. 20. *Et admonitus in somnis fecerit in partes Galilee.* Ibidem vers. 22. ut Dei Divus Josephus verbum faceret, JESUS & Maria Josephi.

II. Ut in magnis illis Patris æterni communicavit Divus Josephus, ita & in humilibus: abscondus ille abscondus & Divus Josephus. Enim verò habent Filius & Spiritus Sanctus suos dies in Ecclesia festos, eosque solemnissimos, nullum Pater Æternus: sic obscura fuit usque ad novissima tempora Divi Josephi in Ecclesiâ memoria, celebris interim plurimum aliorum Sanctorum. Et ut hoc ex alto Dei consilio processisse non dubites, accipe hic nonnullas figuras quas Deus præcessisse voluit ut suæ circa hoc voluntatis & dispositionis testes locupletissimos.

III. Prima extat Genes. cap. 41. in Josepho illo antiquo Ægypti Pro-Rege quem nullus ambigi fuisse nostri Sanctissimi Josephi omnium expressissimam & nobilissimam figuram: Hic cum propter insignem sapientiam suam placuisset Pharaoni Ægypti Regi, elevatus est ab eo super omnes Principes & Regni Dynastas, ita ut Rex uno tantum Regni solio eum præcederet, constituitque eum Pharaon non

tantum super domum suam, sed etiam super cunctum populum, ut illis honoris gradu, his præcæset prærogativâ potestatis, ac universi ad eum pro annonâ recurrerent: Hæc est umbra futurorum, & figura electionis Sancti Josephi supra Cœlites Ætheris omnes, propter insignem magnamque justitiam suam, meritaque singularissima.

Sed observandum ad præsens propositum nostrum quod primus ille Joseph Ægypti Pro-Rex durantibus fertilitatis annis non fuerit in honore habitus nisi in Regiâ Pharaonis, aut Regno in quo erat exaltatus, sed annis sterilitatis fuit etiam ab extraneis pro remedio famis requisitus: ex quo intellege id quod hic de Divo Josepho nostro asserimus quod hoc modo explico. Anni fertilitatis in Regno Dei quod est Ecclesia fuere prima sæcula illa, in quibus tot ferè Sancti quot Christiani, in quibus teste antiquissimo Tertulliano: *Sanguis Martyrum, semen erat Christianorum*, in quibus quo plures demetebat gladius eò plures repullulabant. Anni sterilitatis sunt ultima tæcula, de quibus dicitur, *Cum venerit Filius Hominis*, idest in fine mundi judicaturus eos quos in primo adventu suo redemit, *putas ne inveniet fidem in terrâ?* quanta sterilitas ista? Prioribus sæculis Divus Josephus in Cœli Curiâ à solis Cœlitibus, quibus ejus magnitudo cognita erat honorabatur; sed posterioribus etiam ab extraneis, qui ad ejus patrocinium confluentes opem ejus in necessitatibus suis efficacissimam implorant.

Pro secundâ hujus rei figurâ adduco illud ex cap. 48. Genesis, ubi Jacob aliâs Israel agrotans à filio suo Josepho invitatur, cujus filios Manasse & Ephraim ad se adductos sibi adoptat, ac ita benedicit, ut manus in formam Crucis cancellatas super eos extendens dexterâ caput minoris, sinistrâ verò majoris tangat, sicque minorem majori præponat. Rem accipe ex ipsâ Sacra Scripturâ loco citato. *Cumq; tulisset eos (idest Manasse & Ephraim) Joseph de gremio Patris sui, adoravit pronus in terram, & posuit Ephraim ad dexteram suam, idest ad sinistram Israel,*

T t t

Manasse

Manassem verò in sinistra sua ad dextram scilicet Patris, amplexatusq; ambos ad eum, qui extendens manum dextram posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui major natus erat commutans manus, benedixitq; Jacob filiis Joseph, &c. Cumque Joseph apprehensam Patris manum levare vellet de capite Ephraim junioris, & transferre super caput Manasse senioris, Jacob restitit dicens: Scio, filii mi scio, & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur; sed frater ejus minor major erit illo..... constituitq; Ephraim ante Manassem. Ad eundem modum Deus Pater benedicens filiis, idest devotis & clientibus Divi Josephi manus cancellatas extendit, idest benedictiones & fructus Crucis Christi effudit, præferendo in illis eos qui sunt posteriorum seu recentiorum sæculorum illis qui erant priorum seu antiquiorum.

VI. Tertia figura habetur Exodi cap. 25. ubi Moyses dicitur fecisse duos Cherubinos ex utraque parte Oraculi seu Propitiatorii, qui utrumque latus ejus expansis alis tegebant, respiciebantque se mutuo versus vultibus in Propitiatorium. Quid enim Propitiatorium? nonne Ecclesia, in qua sola remissio peccatorum per Christum? Duo illi Cherubini quid? Cum ut observavit Arias Montanus suo Apparatu, unus illorum Cherubini fuerit in formam mulieris, alter in formam viri: utique duo illi Cherubini fuerunt Maria & Joseph. Quid utrumque latus hujus Propitiatorii nisi utraque Ecclesie extremitas, initium & finis. Ergo illi duo Cherubini hinc & hinc ad Propitiatorium constituti, & alis expansis illud tegentes sunt Maria & Joseph Ecclesie à Deo Protectores dati, quorum illa ipsi ejus initio, hic verò fini præsidio futuri per hoc præsignificati sunt.

VII. Quarta & ultima. Si Ecclesia est Coelum, quemadmodum Genesis cap. 1. vers. 16. Deus in Coelo fecit duo luminaria magna, luminare majus ut præssset diei, & luminare minus ut præssset nocti: ita in Ecclesia sua quæ Coelum est, posuit Mariam & Josephum: Mariam ut præssset diei idest

Ecclesie exorienti, in quibus justitia & abundantia pacis; & Josephum ut præssset nocti, idest Ecclesie labenti & ultimorum sæculorum, in quibus refrigerante charitate abundavit iniquitas.

CAPUT III.

De Ortu devotionis seu Cultus Divi Josephi.

DUPLEX à Theologis nostris distinguitur Sanctorum Cultus, unus qui dicitur privatus & particularis, quia non exhibetur tanquam institutus ab Ecclesia, neque nomine Ecclesie, sed ex particulari devotione & instinctu illius vel illorum qui illum cultum Sanctis adhibent, sive id fiat privatim, sive coram aliis. Alter Cultus dicitur publicus & solemnus, non quod coram aliis, vel à pluribus exhibeatur (hoc enim potest etiam in Cultu privato & particulari reperiri) sed ex eo quod defertur Sancto tanquam institutus auctoritate publicâ, idest ab Ecclesia, & nomine Ecclesie. Ita noster Lezana tom. 1. quæstion. Regular. cap. 12. & tom. 4. verbo, *Reliquie Sanctorum*: & verbo *Sanctorum Cultus* & alii, de hoc utroque Cultu hic, ac primò de particulari & privato, deinde sequenti Sectione de publico.

SECTIO PRIMA.

Initium Cultus privati Divi Josephi.

IN hujus Cultus privati & particularis initio assignando variant Auctores. Sunt qui illam revocant ad Sanctam Gertrudem Germanam quæ devixit ab hinc annis circiter quadringentis, cui Deus per revelationem ostendit gloriam Divi Josephi, & præcepit ut ei esset devota; ipsa tamen attestante lib. 4. Insinuat. suar. ad Divin. piet. cap. 12. Alii ad S. Brigittam cui idem Deus quod præcedenti iussit videnda quæ ipsa habet lib. 6. Revelat. cap.

- cap. 59. lib. 7. cap. 25. lib. 9. cap. 58.
111. P. Fullonius è Societate JESU Leodiensis in Commentariis suis ad lib. Machab. 2. cap. 24. sect. 3. num. 14. videtur illum revocare ad D. Bernardum: dicit enim ibi quod olim de Divo Josepho colendo nulla fiebat mentio donec Bernardo Deus eam mentem immisit ut verbis ipsum & scriptis frumenti Electorum Custodem antefertet Josepho alteri qui frumenta Ægyptiaca genti servavit & parvulus est: mox inquit Brigitta, miram in eventis omnibus voluntatis ipsius ad divinam conformationem deprecavit, tum Divi Bernardinus Senensis & Vincentius Ferrerius Sanctimoniam illius ac gloriam concionibus ac scriptis promulgarunt, idemque præstitit ex Ævi sui doctissimus Cancellarius Gerson. Ita P. Fullonius ubi (suprà): Sed cum iste doctissimus Pater hanc materiam non tractet ex professo, sed excurrendo, ut ex ipso patet, excusandus est quod veritatem non attigerit.
- IV. Altius ergo repetenda est hujus devotionis & Cultus origo: Enimverò de Divi Josephi virtutibus, meritis, sanctimoniâ, excellentiâ & dignitate incomparabili ante D. Bernardum senserunt, dixerunt, scripserunt SS. Patres quàm plurimi, immò ferè omnes à nobis per totum hujus operis decursum relati, & quidem meo videri non inferius D. Bernardo, maximè verò Rupertus ex Monacho Leodiensi Abbas Tuitiensis ad Rhenum ex opposito Coloniz, D. Paschasius, Theophylactus, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Ephrem Syrus, quem Divus Hieronymus lib. de Script. Eccles. scribit è vitâ discessisse sub Valente Imperatore anno 380. & ante illum D. Justinus Philosophus & Martyr, qui in Apologiâ quam obtulit Antonino Pio pro Christianis suppurat annum Christi 150. Nec dubitandum ante Divum Justinum fuisse alios qui nos latent quod eorum scripta propter injuriam illorum temporum perierint: ergo & hi ut D. Bernardus Sancto Josepho devoti.
- V. Et verò si D. Bernardum, quia verbis & scriptis eum extulit existimamus ei fuisse devotum, quod non sit credibi-

le ipsum tam sublimiter de eo sensisse, ut constat ex ejus scriptis, & non eum honorasse aliosque ad idem faciendum per eadem induxisse: quare non idem centeremus de alijs SS. Patribus qui tot retrò sæculis ante D. Bernardum, virtutes ejus & magnalia tam eximie, tam sublimiter, tam magnificè publicarunt?

Inter quos Patres palmas meritò præripiunt illi qui paternitatem ejus ad Christum (ex quâ omnes ejus excellentiæ & magnalia) illustrarunt, quos inter eminent Abbas Rupertus in Marth. lib. 1. cap. 1. D. Chrysostomus homil. 4. in Marth. D. Ephrem, tom. 3. in Margaritam preciosam circa fin. D. Justinus in responsionibus ad Orthod. ad quæst. 66 & ad quæst. 133. alibi à nobis citati. Sed quis in hac arenâ ita triumphavit ut Augustissimus Augustinus? recolantur ea quæ ex ipso adduximus supra part. 2. Tract. 2. cap. 16. & 17. ubi tam copiosè, tam solidè tam mirabiliter hanc Divi Josephi ad Christum Paternitatem explicat & veritatem defendit ut nullus alius sicut ille.

Cum ergo suppositâ paternitate illâ, prout eam illi ex dictis SS. Patribus asseruimus nihil sit quod non ei debeat, ut qui eam benè intellexerit consequenter intelleturus sit nihil, excogitari posse, modò non sit contra rationem, quod eâ de negatum sit: quis dubitabit Patres istos qui tam clarè illam intellexerunt, tam subtiliter explicarunt, tam nervosè defenderunt, fuisse ei affectos & devotos? quo pacto enim illi talia & tam sublimiter de eo sentire potuissent, & non ei affici, ex quibus nos licet frigidissimi, & ad pietatem adeò languidi ita accendimur?

Quod ergo Propheta Regius psalm. 75. vers. 11. de Deo, ego de Sanctis servatâ proportionè dixerim. *Cogitatio hominis, inquit, consuebitur tibi, & Reliquia cogitationis diem festum agent tibi, hoc est meo sensu, cogitationem Sanctam de Deo, & de Divis qui sunt Deo proximi subtequetur confessio & laus, ita ut impressio quam cogitatio relinquit in animâ hominis (quam impressionem vocat reliquias cogitationis)*

tionis) efficiat ut anima illa ei diem festum agat, cujus magnalia per cogitationem agnovit: Quare cum Sancti Patres tot retrò sæculis tam sublimiter de Divo Josepho senserint omnino dubio remoto ei festum Diem in animâ suâ egerunt, & nobis reliquias suarum cogitationum transmiserunt, ut nos his accensi, ei quoque diem festum ageremus.

IX. Cùm ergò nullum extiterit tempus in quo non fuerint semper aliqui Divo Josepho devoti, quàm antiqua, quàm solida est hæc devotio! nullum certius vetustatis argumentum est, quàm ubi rerum principia parum lucida, ratioque temporum quasi victa videtur. Quare etsi præcisâ hujusce devotionis seu cultus privati origo obscurior sit, non ideò tamen ejus antiquitas ignobilior, quin potius è contra ut de hæc usurpare possim quod Lucanus Poëta lib. 10. dixit de Nili origine.

Arcanum natura caput non prodidit ulli,

Nec licuit populis parvum te Nile videre,

Amor vitæ, sinus, & gentes maluit ortus

Mirari, quàm nosse tuos.

X. Sicut ergo fluviorum primi, dum de suo fonte dubios relinquunt investigatores, suam amplitudinem probant maximè, ita etiam hæc Divi Josephi devotio, cùm non sit de numero hæsternarum, quas superciliosi in suspicionem vocare solent, & novitatis arguere Novatores, atque risu excipere Libertini, sed aded antiqua, ut nullum sit assignabile tempus, in quo non fuerint semper aliqui Divo Josepho benè affecti, proculdubio non potest non ex hoc capite excellere. Et licet initio videantur fuisse pauci, quia tamen insignes & sanctissimi, non ideò minus commendabilis: sicut Deus qui initio sibi gloriosum satis judicavit dici Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, cum debuisset dici Deus omnis creatura.

SECTIO II.

Initium Cultus publici Divi Josephi.

XI. **C**onstat ex dictis superius hoc Tractatu cap. 1. non à multis sæculis hoc genus cultus Divo Josepho fuisse exhibitum, nisi in valde paucis locis, cujus & causas ibi dedimus, hic conabimur deprehendere quandonam ille sit ei exhibitus.

XII. Nonnulli hujus publici cultus initium revocant ad tempora Gersonis Cancellarii Parisiensis, maximè ab habito per illum sermone in Concilio Constantiensi de Nativitate Beatæ Virginis in quo digrediens ad Divum Josephum Patres Concilii hortatur, ut *Laudis aliquid ei & honoris decernatur ad Ecclesiam pacem adipiscendam.* Declaratque ibi se agere non pro festo in populo, sed tantum pro festo in Clero universaliter seu Officio Ecclesiastico.

XIII. Confirmant aliqui hanc opinionem ex Jacobo Perez de Valentia Ordin. Eremit. Sancti Augustini Episcopo Christopolitano in suis Commentariis in Canticum *Magnificat*, ad illa verba *Fecit mihi magna qui potens est*, ubi ad finem sextæ dignitatis Beatæ Virginis hæc habet: *Vide sermonem quem Venerabilis ac famosissimus Dominus Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis habuit & fecit in Concilio Constantiensi coram toto Senatu Ecclesiastico, in quo ponit istam positionem, scilicet de Paternitate Divi Josephi, quasi ad litteram, qui quidem sermo fuit pergratus & acceptus toti faciei Ecclesie ibidem congregatae: Propter quod jam publice celebratur Officium Beati Josephi in pluribus Ecclesiis Galliarum, & specialiter solemnizatur in Ecclesia nostra Valentina Hispania.*

XIV. Verumtamen non rectè: Primò enim in verbis citatis Jacobi Perez non habetur relativum propter quem, ut referatur celebratio Officii B. Josephi ad sermonem à Gersone habitum in Concilio Constantiensi. & significet illud Officium ab isto sermone cœpisse celebrari in Ecclesiis Galliarum: sed est relativum propter quod, quod non potest referre

referre aliud quàm objectum positionis ipsius Iacobi Perez, quam confirmat per sermonem istum Ioannis Gersonis idest Divi Iosephi Paternitatem, & significat manifestè quod ista Paternitas ex quâ ejus Magnalia cetera, fuerit motivum propter quod ab Ecclesiis Galliarum publicè Officium Beati Iosephi celebratum sit, ex quo nihil sequitur omninò de tempore quo illud incepit.

XV. Secundò adhuc efficacius, quia ipse Ioannes Gerson à Iacobo Perez citatus in eo sermone quem habuit in Concilio citat Officium antiquum Ecclesiæ Hierosolymitanæ de Sancto Iosepho: unde manifestissimè sequitur ante istud Concilium & Ioannem Gersonem cultum publicum Divi Iosephi extitisse in Ecclesia Hierosolymitanâ.

XVI. Immo cultum aliquem publicum ejusdem Sancti in Cismontanis Provinciis extitisse longè ante istud Concilium ex pluribus antiquis Capellis indicatis in Italia & Germaniâ constat: & P. Barry in suo libro Gallicè conscripto cui titulus *La Devotion de Saint Joseph*, chap. 4. meminit unius antiquissimæ in majori Ecclesia Urbis Papalis Avenionensis, & Confraternitatis ibidem erectæ & perseverantis, ac in dies semper magis florentis, ad quam confluere solent Virgines in die festo Sancti Iosephi ad Missam & Vesperas pro Indulgentiis eidem Confraternitati & Capellæ ab antiquo concessis: cujus devotionis initia idem Pater Barry revocat ad Gregorium XI. hocque conjicit ex aliâ pulcherrimâ ejusdem S. Iosephi Capellâ in Ecclesia Sancti Agricolæ in eadem Urbe Avenionensi ab eodem Pontifice erectâ, ut patet ex ejus Gentiliis insignibus in ipsis lapidibus pluries incisus. Atqui Gregorius ille XI. ascendit ad Pontificatum anno 1371. & è vivis excessit anno 1378. Cum ergò idem Gregorius XI. Sedem Apostolicam à Clemente V. anno 1305. Româ propter factiones Italiæ Avenionem translata restituerit Romæ anno 1376. (vide pro his Onuphrium ad istos annos, Genebrardum in Chronico, Ciaconium in Gregorio XI. Bzovium anno 1370. num. 17. & anno 1378. num. 1. Du Pleix in Caro-

lo VI. & alios) probabile fit omninò Capellam istam fuisse erectam antequam Gregorius XI. Avenione excederet, hoc est ante annum reductionis Sedis Papalis Romam qui fuit annus 1376.

Hinc idem P. Barry & alii ad hoc XVII. tempus initium Cultus publici Divi Iosephi revocant. Potestque hæc sententia hoc modo probari, quia ex dictis initio hujus Sectionis, ille solus Cultus est publicus & solemnus qui Ecclesiæ autoritate quæ residet penes Summum Pontificem defertur: sed ante hunc Cultum nullus potest assignari ex autoritate Summi Pontificis Divo Iosepho exhibitus, hic ergo erit omninò primus. Respondeo ante istud tempus cultum publicum fuisse adhibitum Divo Iosepho ex consuetudine, sciente nec improbante Pontifice, quare hæc consuetudo habuit vim legis ex tacito consensu Principis.

Illustratur hæc Responsio nam ante XVIII. Sanctum Swibertum Episcopum quem ad devotam Caroli Magni Imperatoris, & Hildebaldis Colonienfis Archiepiscopi instantiam canonizavit Leo Papa III. anno 804. pridie nonas Septembris, ut refert S. Ludgerus in Epistolâ de miraculis Sancti Swiberti c. 9. apud Surium Tomo 2. & apud Baronium Tomo. 9. Annot. ad istum annum nullus legitur à Summis Pontificibus solemniter canonizatus: Et certum est ex historiâ Ecclesiasticâ antiquitus homines Dei, voce populi fuisse canonizatos & pro talibus à fidelibus habitos & honoratos: imò usque ad Alexandrum III. saltem usque ad Innocentium III. licuisse Episcopis in suâ Diocesi canonizare Sanctos, & proponere illos colendos docet noster Thomas Waldensis tomo 3. de Sacrament. tit. 14. cap. 122. & Cardinalis Bellarminus lib. 8. de Sanct. Beatit. cap. 8. & patet ex Divo Cypriano lib. 3. Epistolar. Epist. 6. & ex multis Sanctis qui coluntur in certis Provinciis ab immemorabili tempore qui sunt omninò ignoti in aliis: quemadmodum de Simeone Metaphraste patet ex Concilio Florentino Sess. 7. ubi Patres Latini asserunt dictum Simeonem Metaphrastem in Ecclesiis Græcorum coli

coli pro Sancto, cuius nulla usquam apud Latinos extat memoria.

XIX.

Porro ab Alexandro III. & Innocentio similiter III. non amplius licuisse, docet noster Lezana, quia hi Pontifices propter abusus notabiles qui irreperant circa hanc cultus Sanctorum materiam pro quibus vide Sulpitium in vitâ Sancti Martini Turo-nensis Episcopi & alios & c. *Andvimus* extra de reliquiis & Sanctorum veneratione, prohibuerunt ne quis deinceps publicè coleretur ut Sâctus nisi de expresso consensu & approbatione Summi Pontificis, ut constat ex eodem c. *Andvimus*, & optimè quidem quia in aliis quibuscumque præterquam in Summo Pontifice Petri Successore non est illa infallibilitas, quæ necessariò requiritur in hac materiâ.

XX.

Instabis ante Alexandrum III. non constat D. Josepho fuisse adhibitum cultum publicum, cum ergo iste Pontifex ascenderit Cathedram, anno 1159. & sederit annos 22. non licuit postea Divo Josepho cultum publicum adhibere sine Summi Pontificis auctoritate, & omnis qui fuit ei ab eo tempore sine illâ adhibitus, si quis fuerit non debuit censerî publicus & solemnîs, atqui ante Gregorium XI. nullum legimus & de Summi Pontificis consensu adhibitum, ergo standum in Sententia Patris Barry: Respondeo dato & non concessio antecedente, pro quo vide infra dicenda maximè cap. 4. Nego consequentiam, quia etsi Alexander III. & Innocentius III. reservarint sibi potestatem Sanctos in posterum canonizandi, non tamen adhibendi cultum publicum illis qui jam ante ipsos habebantur ab Ecclesia pro Sanctis, cum fuerit liberum Episcopis & Capitulis Generalibus Ordinum etiâ illis qui ab ipsis Pontificibus eorum successoribus semel canonizati fuissent decernere illis officium, vel sub hoc aut illo ritu usque ad tempora nostra quibus jam & officium & officii ritum sibi sancta Sedes reservavit: quare cum Divus Josephus cui tanta laus est in ipso Dei Evangelio nunquam non fuerit habitus Sanctus ab Ecclesiâ, potuit jure merito ab Ecclesiâ Hierosolymitana & aliis coli, & hic cultus fuit

verè publicus.

Dico ergo hujus cultus publici palmas videtur omninò sibi vindicare Sancta Ecclesia Hierosolymitana, nec immeritò, cum enim in omnibus aliis Sanctis eorum cultus ut plurimum ceperit à loco ubi aut nati, aut educati & mortui sunt: æquum omninò fuit ut cum tempus advenit quo Deus voluit Divum Josephum venerationi esse, ibi cultus illius inciperet ubi natus, educatus & mortuus est: præter hanc congruentiam adduco quod habet Joannes Gerson Serm. de Nativitate B. V. ad Patres Concilii Constantiensis ubi probat Divi Josephi sanctificationem in utero ex antiquo officio Hierosolymitanæ Ecclesiæ, ergo ante Concilium Constantiense Ecclesia Hierosolymitana ei cultum publicum adhibuit, ergo etiam ante Gregorium XI. inter quem & dictum Concilium mediant tantum 36. vel 38. anni, quandoquidem Gerson in isto sermone habito in Concilio Constantiensi probans Divi Josephi in utero sanctificationem prober illam non ex officio Hierosolymitano tantum sed antiquo: quale non posset dici si non præcessit istud Concilium plusquam 36. vel 38. annis.

Ad hoc quoque evincendum adduco frequentes observationes. Prima, quod in Ordine nostro quâcumque per orbem diffuso, Officium de Sancto Josepho tamdiu factum est, quamdiu ab Ecclesiâ Hierosolymitana, cum nunquam alio Breviario usus fuerit Ordo quàm Breviario Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ideò proculdubio quia in ejus sinu hæc Alma Religio sumpsit suum exordium, ibique prima Sedes mansit, & illius caput sedit usque ad tempora Beati Alani Generalis inter Latinos ordine quinti, id est usque ad annum 1289. quo trucidatis à Sarra-cenis in Monte Carmelo Religiosis nostris, reliqui ad has partes Europeas migrare coacti sunt: propter quod etiam nunc non obstante Bullâ Pii V. de anno 1558. quæ incipit, *Quod à nobis*, de accipiendo ab omnibus Breviario Romano ab ipso approbato idem retinent Breviarium: quia cum Ordo usus esset Hierosolymitano plusquam ducentis annis ante Pianam istam constitutionem,

situationem, per eandem ab illius observatione mansit omnino exempta.

XXIII. Secunda observatio, quod in Breviario hujus Ordinis Parisiis anno 1517. typis de Marneff impressio (in quo ad 19. Martii Festum & Officium D. Josephi sub ritu duplici) ponitur in ejus limine Rubrica una de particularibus Ordinis Officiis ab Ordine isti Hierosolymitano Breviario adjectis, prout sequitur de verbo ad verbum.

XXIV. *Capitulum Generale in Monte Pessulano celebratum, & aliud Bononia celebratum, & aliud Bruxelle celebratum, & aliud Aureliaci celebratum, & aliud Ne-mausi celebratum, & aliud Neapoli celebratum; hac, inquam Capitula multa ordinaverunt seu statuerunt circa divinum Officium, quae breviter sequuntur. Primo, quod Commemoratio Beatae Virginis fiat semel in Hebdomada per Adventum extra ultimam Septimanam, fiat etiam feria tertia in Rogationibus. Secundo, quod Gloria in Excelsis dicatur in Missa solemniter de Beata Virgine. Tertio: quod Antiphona Salve Regina &c. Versus, Ora pro nobis, &c. Et Oratio Protege Domine, &c. dicantur in fine omnium horarum ante fidelium animam, & in fine Missae excepto triduo ante Pascha. Quarto, quod fiat Officium de Sanctis quorum corpora requiescunt in Conventibus nostris, & de Sanctis quorum in Villis ubi Fratres morantur sollempnes celebratur, & de Sanctis quorum Capella vel Altare infra proprium Conventum habetur, & de Sanctis quorum sunt nomina, Apollonia, Barbara, Martialis, xj. mille Virgines, Saturninus, Sorores B. Maria, Basilius, Cyrillus, Angelus, Baudelius, Erasmus, Eliseus, Albertus, Iannarius, Geraldus, Hilarius, Pappas & Maurus, Faustinus & Jovita & Honorius. Quinto, quod parva Hora nostra Domina mutentur pro parte per Adventum, & à Nativitate Domini usque ad peractam Octavam Purificationis. Sexto, quod in die animarum, & omnibus Feriis secundis fiat Processio pro defunctis. Septimo, quod fiant Octavae solennes de Epiphania, de Ascensione, de Corpore Christi, de Angelis, de omnibus Sanctis, & de Dedicatione, & de Beata Maria Magdalena. Octavo, quod fiat Festum totum duplex, vel duplex de omnibus illis Sanctis, & Octava, in quorum diebus &*

officis Indulgentia in Mari Magno concessa sunt. Et sunt haec festa Nativitas Domini, dies Parasceves, Pascha, Pentecostes, Conceptio, Nativitas, Presentatio, Annuntiatio, Visitatio, Purificatio & Assumptio Beatissima Virginis; Sancti Martyres Fabianus & Sebastianus, duo Festa Sancta Crucis, Nativitas Sancti Ioannis, Festum Apostolorum Petri & Pauli, Michael Archangelus, omnes Sancti, & Vocabula Ecclesiarum nostrarum. In his omnibus solemnitatibus & per earum octavas maxima Indulgentia in nostris Ecclesiis habentur, &c. Hac breviter recollecta quando & quomodo fieri debeant in suis locis declaratur. Haec Rubrica illa.

Cum ergo omnia festa Breviario Hierosolymitano ab Ordine adjecta incipiendo à Capitulo Montis-Pessulano de anno 1321. usque ad Capitulum Neapolitanum de anno 1510. inveniantur in hac Rubrica Breviarii nostri Parisiis anni 1517. apud Marneff impressi in eà verò non reperitur Festum Sancti Josephi, nec etiam in aliis praecedentibus Capitulis Generalibus usque ad Tholotanium de anno 1306. inclusivè, quorum acta seorsim ad cuiusque illorum annum referuntur à Patre nostro Lezanà Tom. 4. Annal. Ordinis (nam de anterioribus nihil dicere possum cum de illis nihil extet eodem P. Lezanà asserente) signum est manifestissimum quod ante omnia illa Capitula, erat jam Festum Sancti Josephi in Breviario Hierosolymitano, propter quod non fuit necesse illud cum aliis per acta illorum Capitulorum ordinari adjiciendum dicto Breviario quo Ordo utebatur: vel dicatur per quam rimam intraverit Divus Josephus in Breviaria Ordinis illo anni 1517. ex quo Rubrica illa hic sub num. 24. relata antiquiora, quale inter illa est illud quod extat in Bibliotheca nostra Leodiensi, quod Bruxellis anno 1480. 16. Maii absolutum est operà Fratris Valentini Colonienfis.

Objicio ego ut nihil videretur voluisse occultare, licet in Rubrica istà non fiat adjectio Divi Josephi ut aliorum, ad Breviarium Ordinis, invenitur tamen in actis Capituli Generalis Ne-mausensis anno 1498. ordinatum ut fiat Officium de illo. Probat ex nostro

nostro Lezanâ Tom. 4. Annal. ordin. qui ad istum annum 1498. hæc refert: ex libro Ordinis fol. 75. *Quoad Decreta hujus Capituli Nemausensis hæc sunt præcipua. Primum circa divinum Officium, quod per totum Ordinem fieret quotidie in Vesperis & Matutinis, nisi impedimentum evenisset memoria de Sanctis Alberto & Angelo. Item quod de Beatâ Mariâ Magdalena fierent Octavae solennes. Præterea quod de Sancto Ioaehimo fieret festum duplex decimâ Septembris, sicut de S. Iosepho.*

XXVII. Respondeo hæc objectio plus habet apparentiæ quàm virium, nam præterquam quod invenitur festum D. Josephi & Officium in Breviario præfato de anno 1480. hæc ultima verba: *Præterea quod de Sancto Ioaehimo fieret festum duplex 16. Septembris sicut de Sancto Iosepho.* Non significant simultatem institutionis utriusque Festi, scilicet Sancti Ioaehimi primò, & secundò Divi Josephi, ut vult objectio; sed significant institutionem Festi Sancti Ioaehimi ad normam & similitudinem Festi Sancti Josephi, idest ut fiat Festum Sancti Ioaehimi sub ritu duplici sicut fiebat Festum Sancti Iosephi.

XXVIII. Confirmatur primò, hæc responsio ex dictis, constat enim ex Gersone citato longè ante Concilium Constantiense quod absolutum fuit anno 1418. idest octoginta annis totis ante istud Capitulum Generale Nemausense, Festum Divi Josephi relatum fuisse in Breviarium Ecclesiæ Hierosolymitanæ, consequenter & in Breviarium Carmelitarum, ergo non loquitur hoc Capitulum Nemausense de primâ institutione Festi S. Josephi.

XXIX. Confirmatur secundò, hæc responsio ex Breviario illo anni 1480. de quo supra num. 25. isto Capitulo antiquiore in quo reperitur officium proprium Divi Josephi idque sub ritu duplici, nihil verò de Sancto Ioaehimo, ergo verba illa Capituli Nemausensis: (*De Sancto Ioaehimo fiat Festum duplex 16. Septembris sicut de Sancto Iosepho,*) posterioris tempore isto Breviario, non possunt significare simultatem institutionis utriusque festi, sed rectè explicantur dicendo significare institutionem Festi S. Ioaehimi ad normam festi quod fiebat de Sancto Iosepho, scilicet

sub ritu duplici.

Addo etiam hoc posse confirmari evidentissimè ex eo quod in verbis illis Capituli Nemausensis non assignatur Divo Iosepho dies pro eius Festo seu Officio, sicut assignatur Divo Ioaehimo: nimirum quia ante Divus Iosephus habebat suum diem non Divus Ioaehimus, nempe decimanonam Martii, prout de facto invenitur habere in isto Breviario anni 1480. quem diem semper retinuit Ordo, & tandem tota Ecclesia, rejectis aliis assignavit pro eodem Divi Iosephi Festo.

Constat ergo ex his omnibus Ecclesiam Hierosolymitanam etiam ante annum 1306. coluisse Divum Iosephum cultu publico, quanto verò tempore ante, nihil certi dicere possum, quia nulla istius Ecclesiæ monumenta vel Breviaria supratactis antiquiora ad manus meas pervenerunt ut hanc rem ulterius scrutari possem. Vide tamen ea quæ infra ad finem Sectionis sequentis num. 38. & 39. ex P. Bollando & Sociis.

CAPUT IV.

Corollaria ex dictis.

REVOCANDUM hic quod diximus Capite præcedenti, Carmelitas nullo unquam alio quàm Ecclesiæ Hierosolymitanæ Breviario usos, cum nec nunc ab alia mundi plagâ in hanc transplantati, & per orbem quâcumque diffusi, alio utantur quàm compacto juxta istius Ecclesiæ antiquam consuetudinem, quam constanter retinuerunt, & retinent annuentibus summis Pontificibus. Ex quo sequitur manifestè Carmelitas quâcumque per orbem diffusos, si non ante, saltem ab eodem tempore quo Ecclesia Hierosolymitana cultu publico & solemniter coluisse Divum Iosephum.

Secundò revocandum ex dictis Capite præcedenti præcipuè num. 25. cultum hunc publicum & solemnem Divi Iosephi apud Carmelitas præcessisse annum 1306. qui fuit decimus-septimus transmirationis eorum è Terrâ

Magnalia
D.
Iosephi
S. I.

Terrâ Sanctâ in Europam propter persecutionem Saracenorum, quodque ex tunc idest anno 1306. Ordo ultra Provinciam Terræ Sanctæ numerabat in his Partibus decem alias Provincias ut patet ex libro Ordinis apud nostrum Lezana in Annalibus ad istum annû. Tempore verò Concilii Constantiensis ultra dictam Provinciam Terræ Sanctæ fuisse numeratas in Capitulo Generali habito anno 1416. in Conventu Balneo-larum in Provinciâ Narbonensi, viginti unam Provincias: nempe primam Siciliae, secundam Angliæ, tertiam Narbonæ, quartam Romæ, quintam Franciæ, sextam Germaniæ inferioris, septimam Lombardiæ, octavam Aquitaniæ, nonam Hispaniæ, postea dictam Castellæ, decimam Hiberniæ, undecimam Provinciæ, duodecimam Scotiæ, decimam-tertiâ Tusciæ, decimam-quartam Bononiæ, decimam-quintam Tholosæ, decimam-sextam Cathalonæ, decimam-septimam Germaniæ Superioris, decimam-octavam Vasconiæ, decimam-nonam Turoniæ, vigesimam Bohemiæ, vigesimam-primam Aragoniæ: ita nos-ter Lezana tomo 4. Annalium Ordin. ad annum 1416. Ex quo sequitur cum istæ Provincie essent ante Concilium Constantiense quando Gerson cœpit agere apud Patres istius Concilii pro introducendo in his partibus universaliter Sancti Iosephi Festo in Clero, Carmelitas in istis Provinciis ante omnes alios Divum Iosephum cultu publico coluisse & in suis Ecclesiis Officio Ecclesiastico honorasse.

I I. Tertium Corollarium: ex quibus vide an non cum maximo fundamento dici possit, non enim audeo asserere etiam quod tam clarum videtur propter amulos quibus hodie non caremus, ab hoc Ordine tanquam à fonte primario devotionem Divi Iosephi saltem in Europeis Partibus fluxisse ac derivasse; maximè cum & per illos eam Deum promovisse constet, ut infra dicemus.

III. Certè cum Divus Iosephus tamdiu latuerit, & cum esset tantus, tot sæculis tamen honore sibi ex meritorum suorum culmine debito caruerit propter Beatam Virginem Deiparam, ut

patet ex dictis supra hoc Tractatu cap. 1. Nonne propter hoc videbatur illa teneri ut tempore præordinato ipsamet illum ei procuraret: in hoc autem quos rectius impendere potuisset quàm illos qui toti sui sunt, idest Carmelitas.

Hoc ut & alia multa per probationes quas vocant probatas, instrumenta scilicet ipsius Ordinis authentica, sine dubio confirmare possemus, nisi illa ut alia multa periissent in illâ desolatione Terræ Sanctæ generali, quæ contigit anno 1289. quando Patres nostri avità suâ Sede pulsi sunt, exustâ funditus in ipso Carmeli Monte primariâ Ordinis Domo, & rerum ad Ordinem pertinentium nobili Archæo.

Illas porò quas supra adduximus, non esse leves aut parvi pendendas, suadent regulæ juris sequentes: Prima, *In antiquis non requiruntur exacte probationes, sed deficientes etiam admittuntur*, c. in causam de probationibus. Menoch. Consultar. 147. Barbosa, & alii. Secunda, Probatio evidens etiam dicitur quæ resultat ex bonis conjecturis, l. *Si quis locuples*, c. de manu testam. Nota in l. *Licet Imperator de leg.* Et est communis & usitata inter Doctores. Tertia, *Præsumptio probat plene in iis que sunt conformes veritati*. Bartol. in l. 2. in princip. in 2. tol. vers. *Quærit*, Glossa 1, in lect. Nicolai de Neapol. ff. de excus. tutor. Bertachinus in Re-pert. 4. p. verbo *Præsumptio*. Quarta, *Præsumptiones duæ simul junctæ plenam faciunt probationem*. Glossa 1. *Instrumenta*, c. de probationibus, & alibi.

His adjicio quæ eâ de re scribit Pater Bollandus cum sociis in Actis Sanctorum mense Martii tomo 3. ad 19. diem in Sancto Iosepho §. 3. ubi hæc leguntur. Festum Sancti Iosephi circa tempora Sancti Hieronymi, vel ante apud Hierosolymitanarum Laurarum Monachos, cum ingenti veneratione celebrari cœpit. Latini verò intra nondam commemorationem stetit videntur usque dum Christianorum rebus in Oriente collabentibus Carmelitana Religio sæculo undecimo & duodecimo feliciter sub uno Capite in quandam Europæi Monachatus formam

VII

formam

„formam coalita, tandem etiam ipsa
 „in Europam migravit, ubi Hierosoly-
 „mitanæ Ecclesiæ ritus & officium
 „Græcum, quo primitus utebantur in
 „Latinæ Lyurgiæ atque Psalmodiæ for-
 „mam paulatim commutarunt, servatis
 „tamen præcipuis quibusdam antiquo-
 „rum Ordinis Patronorum festis, inter
 „quæ credibile est hoc ipsum Sancti
 „Iosephi fuisse.

- VII. „ Etenim in Ecclesiastico Officio ad
 „honorem Sancti Iosephi ordinando
 „primos fuisse, & cum Ecclesiis aliis
 „tum ipsi Romanæ prævisse Ordines
 „mendicantes ex ipsorum Breviariis
 „constat: quinam autem priores quam
 „qui in Oriente jam pridem consueve-
 „rant illud annuè celebrare?

CAPUT V.

De progressu devotionis Divi
Iosephi.

- I. **N**OMEN Ioseph quo non si-
 ne divino nutu insignitus est
 Virgineus Virginis Matris
 Sponsus significare apud He-
 bræos idem quod incrementum sive
 augmentum apud Latinos, omnibus
 compertum est: Quare dum de Ioseph
 ex Iacob & Rachæ Patriarchâ è duo-
 decim uno dicitur Genesis cap. 49.
 vers. 22. *Filius accrescens, Ioseph filius ac-
 crescens*, voluit per hoc Scriptura sig-
 nificare quod juxta sui prælagium no-
 minis futurum erat, ut etiam contra
 nitentibus fratribus ex Dei Providen-
 tiâ in dies magis semper & magis cres-
 ceret, prout de facto crevit, atque adeò
 ut in Regno Ægypti esset primus à
 Rege: Cum igitur hic esset figura no-
 stri Sancti Iosephi ut toties diximus,
 proculdubio in eo tanquam in typo
 ostendere voluit Deus quid aliquando
 in nostro Divo Iosepho per istum
 præfigurato in veritate complendum
 erat.

- II. Nonne enim postrema sæcula vi-
 derunt hunc nostrum Sanctum semper
 magis ac magis crescere? nonne viden-
 tur, inquam, gloriam ejus accidenta-
 lem, id est honorem, cultum & invoca-
 tionem inter fideles non Orientis

nostri tantum sed etiam Occidentis
 incrementa semper in dies capessere
 majora? & videbunt futura, Deo af-
 flante (ita suadent præfagia) semper
 & semper majora.

Porro ut hujus devotionis progres-
 sus & incrementorum aliquam tibi Le-
 ctor ob oculos imaginem ponam fami-
 liarem, considera aquæ tramitem:
 hic quantumvis in suo fonte exiguus,
 dum tamen per longa spatia decurrit,
 confluentibus hinc inde, quâ transit,
 in ejus alveum frequentissimis aliis ri-
 vulis magis & magis intumescit, &
 tandem in fluvium magnum excrevit:
 ita planè hujus Sanctissimi Patriarchæ
 devotio, initio quidem ad paucos, ita
 volente ad tempus Deo restricta fuit,
 sed dum per sæcula decurrit, crebris
 Sanctorum Patrum laudibus, & enco-
 miorum accessibus exandavit: quod
 ita verum est, ut quo longius per tem-
 pora diffunditur, eò amplius & amplius
 exuberare conspiciatur, ut proinde
 dicere possim, & ut quidem reor satis
 aptè quod quemadmodum ille ignis
 sacer qui in imo putei absconditus diu
 delituit cum abducerentur in Petri-
 dem Judæi, inde tandem multis annis
 de post sub Nehemiâ eductus in aquâ
 crassâ, cum tempus affuit, quo Sol re-
 fulsit qui prius erat in nubilo, repenti-
 no miraculo excitatus est, adeò ut ex
 modico aquæ crassæ accensus sit ignis
 magnus lib. 2. Machab. cap. 1. Ita om-
 ninò Divus Iosephus olim ex amore
 divino eum inflammante totus ignis,
 tot retro actis sæculis ob hetero-
 doxorum perfidiam in latebris posi-
 tus, & à paucis agnitus, Sole justitiæ
 Christo qui prius erat in nubilo tam
 refulgente, dissipatis, inquam, hære-
 sum nebulis prodiens, tam gloriosè
 magnificatus est & exaltatus, in tan-
 tam laudum, votorum, encomiorum,
 communium toto Orbe solemnita-
 tum copiam exurrexit, ut verè juxta sui
 prælagium nominis sit, *filius accres-
 cens Ioseph filius accrescens*, id est nullus
 sit accrementi terminus, ut proinde
 quod ei laudis & honoris per præterita
 decesserat sæcula, abundè per exube-
 rantiam præsentium compensetur.

Cæpit ergo ab initio nascentis Ec-
 clesiæ hujus Sanctissimi Patris JESU
 devotio,

Synopsis

Magnalium
D.
Iosephi
SV

devotio, & ab inde per SS. Justinum Martyrem, Ephrem Syrum, Irenæum, Gregorios Nazianzenum & Nyssenum, Chrysoctomum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Joannem XLIV. Patriarcham Hierosolymitanum, Paschasium, Chrysologum, Euthymium, Theophylactum, Rupertum, Bernardum, & mille alios decurrens, nec amplius in tam angusto alveo arctari sustinens, exuberavit & in publicum Cultum erupit ac deinde primum suum alveum, suum Hierosolymitanam inquam Ecclesiam sinum excedens, expandit se ad omnes Europæ Provincias, & ab his ad totius orbis Ecclesias.

V. Ejus rei figura fuit Josephus Antiquus de quo in Genesi legitur, quod cum adhuc puer esset, prætereuntibus Ismaelitis traditus ab iis in Ægyptum adductus est ita disponente Deo, per quem orbis sterilitati provifum esse volebat: datis enim ibi virtutis ac sapientie suæ incomparabilis signis, tandem agnitus exaltatur ac tandem primus in Regno Pharaonis Princeps salutatur. Habes figuram, accipe veritatem. Vix erat natus Divus Josephus in cordibus fidelium Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quin ille cum eâ propterea eisdem sterilitatem in bonis operibus videbatur exscindendus: sed Carmelitis sub idem tempus ab illis oris ad has partes transeuntibus ab eis hic adducitur, ubi agnitus, & in grandi pretio habitus, tandem usque adeo crevit, ut primus Regni Cælestis Princeps habeatur.

VI. Viam illis præstruxerat Deus per apparitiones & revelationes factas personis Sanctis in eundem finem, quarum unam vide apud Laurentium Surius ad septimam Aprilis in Sancto Hermanno Divi Norberti Candidi Ordinis Præmonstratensis Fundatoris & Patris Filio non degeneri circa annum 1235, ideo deinceps Joseph nuncupatus.

VII. Alia sub idem tempus contigit Sanctæ Gertrudi Germanæ quæ devixit circa annum 1280. scribit lib. 4. Insinuat. ad Divin. Pietat. cap. 12. quâdam die Annuntiationis Beatæ Virginis, qui & Dominicæ Incarnationis sibi, dum Horis Matutinis operam

daret, apparuisse B. Virginem cum amantissimo Sponso suo Divo Iosepho, & innumerabili SS. multitudine, vidisseque omnes Sanctos ad prolationem venerabilis nominis Ioseph ad ipsum se convertere eique reverentissimè caput inclinare, congaudentes ei & applaudentes de ejus summa elevatione. Ex quo proculdubio dabatur Gertrudi intelligere, quandoquidem omnes Sancti ei inclinarent, eum etiam omnes in gloria præcedere: secundo quandoquidem hoc in festo Dominicæ Incarnationis ei exhiberetur, significabatur quod etsi Christum actione propria non genuerit, ipse tamen suam partem haberet in hoc divinissimo Mysterio isto die in castissimâ conjugæ suâ Spiritu sancto ei pro se obumbrante mirabiliter operato, & ideo Sanctorum coronam ei inclinare.

VIII. Succesit illis non diu post ex Sueciæ Regno femina primaria, sancta inquam Brigitta Principissa vidua à revelationibus famosissima, cui Deus uti & præmemorata Sanctæ Gertrudi Germanæ planè jussit ut esset huic Sanctissimo Patri suo, & Matris suæ Sponso castissimo devota: videnda ipsamet Brigitta lib. 6. Revelat. cap. 59. lib. 7. cap. 25. & lib. 9. cap. 58.

IX. Aliam refert Pater Bollandus cum Sociis in Actis Sanctorum tomo 2. Mensis Martii in vita Beatæ Catharina Bononiensis cap. 6. num. 59. sub his verbis. Dum autem Catharina in dispertiendis ad januam Monasterii eleemosynis assiduitate & sollicitudine pari versatur, accidit ut ad portam Monasterii aliquoties eleemosynam petendæ causâ sisteret sese venerabili gravitate Senex, cui illam Beata Catharina hoc quoque nomine impertiebatur libentius, quod intellexisset bonum illum Virum ad omnia Palestina loca Incarnati Verbi Mysteriis consecrata peregrinandum accessisse, amabat enim ab eo querere & discere varia pietati suæ alendæ oportuna circa situm naturamque locorum istorum. Hic quodam die eadem ex causâ ad portam accessit Monasterii, acceptaque eleemosynâ tradidit ei scutellam parvulam, non ex terra Pozzellanâ, aut Majolanâ, sed mixturâ incognitâ ac transparentis, quam

„ quam dicebat eam ipsam esse, ex quâ
 „ Puerulo Ies u porum porrigere solita
 „ fuerat Virgo Mater Sanctissima, ro-
 „ gabatque ut servare penes se vellet,
 „ dum eam redux requireret. Implevit
 „ ea oblatio miro gaudio Catharinam:
 „ Peregrinus autem reversus deinde
 „ nunquam est, neque de hoc facto
 „ amplius aliquid sciri potuit ex Catha-
 „ rinâ, nisi hoc solum, quod Virum
 „ illum minimè crediderit fuisse è mor-
 „ talibus unum, sed Sanctum Iosephum
 „ Christi Nutricium, per quem Deus
 „ hanc sibi gratiam voluerit facere: Quo
 „ autem fundamento id crederet nun-
 „ quam patefecit. Divinâ Revelatione
 „ edoctam fuisse probabilis foret conje-
 „ ctura. Ex hinc certè castissimo Mariæ
 „ Sponso devotissima fuit, Bononiam-
 „ que abitura Scutellam prædictam Ab-
 „ batissæ tradidit eâ conditione, ut die
 „ Festo ipsius Sancti in Altari ad Populi
 „ Fidelis solatium exponeretur, redde-
 „ retur autem Peregrino qui dederat, si
 „ eam aliquando petiturus redisset. Ser-
 „ vatur igitur, exponiturque hoc modo
 „ in Ferrariensis Ecclesiæ Monasterio,
 „ admoveturque infirmis, istud cum fi-
 „ de postulantibus, qui si sanandi sint,
 „ odorem ex se suavissimum illa reddit:
 „ morituri creduntur si absque odore
 „ permaneat.

X. Sunt & alia multæ similes Apparitiones & Revelationes quibus Deus accreturæ velificatus est Devotioni. Finio per illam quum refert Sanctus Vincentius Ferrerius serm. de Nativitate Domini de quodam Mercatore Hispano ex Urbe Valentiniâ, qui quolibet anno in Festo Nativitatis Domini invitabat ad prandium pauperem senem & mulierem aliquam similiter egenam gestantem in sinu pusiolum, in memoriam quod isto die non fuit Christo, Mariæ & Iosepho locus in diversorio: qui cum post multos annos expletæ constanter istius devotionis, mortuus esset, fuit revelatum quod in ipsius morte apparuerunt ei Sanctissima Virgo cum Filio suo & Sancto Iosepho cum sic affati: *Quia tu vivens recepisti nos in domum tuam, ideo te morientem recipiemus in domum nostram.* Hæc Divus Vincentius Ferrerius qui obiit anno 1418. Ex quibus omnibus evidenter patet

cultum Divi Iosephi cœpisse validari seu incrementa capere ante tempora Concilii Constantiensis.

Immo Joannes Gerson in suâ Iosephinâ quam certissimè scripsit ante sermonem habitum in isto Concilio, meminit variorum dierum in quibus tunc à variis ejus festum celebrabatur: scienim ille ibi.

Nec tamen est obitus certa dies quam signant

Hanc variè, variè pro religione colendam.

Est Februarius, est & Martius, estq; December:

Primi nona dies, cum deno nona secundi, Alterius decima, per quosdam & nona notatur,

Sis quæcumque dies, sua nobis est mors honoranda.

Idem Joannes Gerson anno Domini 1413. hoc est ante Concilium Constantiense quod incepit anno 1414, in Exhortatione ad Ducem Bituricensis pro Solemnizatione festi Sancti Iosephi part. 4. Oper. hæc habet in fine, *Scriptum anno Gratia 1413. die Sancti Clementis Papæ cui successit magnus tuus & bonus Amicus sancte memoria Papa Clemens VII. qui (ut dignâ fide revelatione cognovi) in veneratione & devotione singulari habebat Sanctum Ioseph, sicut etiam nostri temporis magna scientia & probitatis viri habent & habuerunt: quemadmodum Cardinalis Cameracensis Præceptor meus, & bone memoria Pater Petrus Burgundio Cælestinus, cui (ut dicere solitus erat) singularis erat Patronus & refugium, cujus sapius expertus fuerat auxilium in suis & aliorum necessitatibus tanquam per miraculum. Et postremò Magister Henricus (hic quot plurimum famatus & antiquus in Universitate Parisiensi Clericus, Theologia Doctor, paulò ante in obitu suo & supremâ voluntate reditus misit in Ecclesia Carnotensi, ut loco obitus sui fiat commemoratio Sancti Iosephi, &c. & omnes hi super hæc rescripterunt scripta quidem plena scientia & devotionis, &c. Hæc Gerson. Ex quibus manifestum evadit quod cultus & devotio D. Iosephi ante Concilium Constantiæ non tantum apud particulares, sed etiam apud plures Ecclesias incrementa capere inceperat.*

Audiendus

XIII. Audiendus eā super re Sanctus Bernardinus Senensis qui ab hominibus demigravit anno 1443. cūm vixisset annos sex & sexaginta juxta Chronologiam P. Iacobi Gaultier sæculo 15. Hic tomo 3. serm. de Sancto Iosepho artic. 2. cap. 2. præfata sic confirmat. *Certe velo olim in Ecclesia tegebatur quanta dignitatis & sanctitatis esset Ioseph Sponsus Virginis, & Pater Christi putativus: sed scissum est velum templi à summo usque deorsum, & per fidem Christi sacrosancta Myseria orbi universo pervenerunt, & in hoc celorum Regno, idest Ecclesia, apertum est Dei templum, & facta sunt fulgura & voces Concionatorum secuta sunt voces Doctorum, quæ de tanto & Sanctissimo Iosepho resonarunt concionibus, & scriptis celebrarunt.*

XIV. In quibus verbis advertenda ista particula *olim*, quæ significat aliquod tempus notabile, quod præcessit illud quo hoc dixit Divus Bernardinus, & quo *velum templi scissum est*. Et certè omninò necessarium est quod intercesserit aliquod notabile tempus inter illud, quo verum fuit dicere velo adhuc objectum fuisse, & illud in quo tot potuerint voces Concionatorum ita tonuisse, & scripta Doctorum ita illis successisse, ut possit dici velum templi scissum, ut notitia illius tunc pervenerit ad orbem universum: fatendum tamen est statum Devotionis & Cultus Divi Iosephi annis ab eius ortu usque ad Concilium Constantinense fuisse exiguum si comparetur cum eo ad quem assurrexit ab indè. Nec mirum.

XV. Hoc enim meo videri exinde congruit quod maxima pars Prælatorum tam Diocesum quam Ordinum Religiosorum totius Europæ essent ibi congregati in Concilio, qui cūm ex huius cultus incrementis quotidianis ab aliquot annorum lustris ipsis non omninò ignotis, & notitiâ meritorum Divi Iosephi propriâ & particulari essent ad illum valde dispositi, accedente demum efficaci illâ Gersonis Viri tunc summæ autoritatis exhortatione, Patrum Concilii, & omnium Patrum Patris Martini V. Summi Pontificis ibidem electi & præcæcis ap-

plausu, afflante etiam Divino Numine, dum ad propria reversi, pro zelo quisque suo in Ecclesiis vel Ordinibus suis invexerunt: eo ferè modo quod dum tempus advenit divinitus præordinatum propagandæ per totum orbem fidei Christianæ: Rem ita moderata est Divina Providentia (quæ attingit à fine usque ad finem fortiter & suaviter) quod ad illius promulgationem per Apostolos in die Pentecostes, adessent Parthi, Medi, & Elamithæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum, & Partes Lybiæ quæ est circa Cyrenem, & Advenæ Romani, Iudæi quoque & Proselyti, Cretes & Arabes, Actorum cap. 2. ut per illos deinde ipla ad omnes illas mundi plagas deportaretur.

Addunt nonnulli Moderni cultum Divi Iosephi universalem fuisse in isto Concilio institutum, & ab inde in omnibus Ecclesiis receptum, licet ab aliis citius, ab aliis verò tardius. Nec referre quod hæc institutio non reperitur inter acta istius Concilii: id enim provenire indè, vel quod illa jam non extent integra, vel quod cūm inter Acta Conciliorum non soleant referri nisi fidei dogmata, potuit fieri quod hoc utpotè meræ Politicæ externæ inter illa non fuerit relatatum, vel denique si ista non placent quod hæc institutio fuerit tantum vivæ vocis oraculo, vel per applausum omnium Patrum Concilii facta.

Sed hoc non placet, tum quia omninò certum est extare illius Acta Concilii, tum quia constat inter illa relatata fuisse alia quàm dogmata fidei, & aliqua minoris considerationis quàm sit istud de institutione Festi alicujus. Quod autem dicitur de vivæ vocis oraculo tam facile negatur quàm facile asseritur, cūm nullus Author synchronus, aut illorum temporum vicinus istius oraculi meminerit, imò nec ipse Gerson, cujus tamè maximè intererat, cūm ipse pro isto festo tam zelosus esset & pro eo obtinèdo ad Concilium istud perorasset. Quod verò de applausu Patrum Concilii dicitur facile crediderim, si ab illis decretum fuisse non addatur

Vuu3

addatur

addatur, si enim hoc decretum adjece-
ris, oppono semper Gersonem tacen-
tem & peto probari.

XVIII. Accedit quod si hoc Festum in Cle-
ro fuisset institutum à Patribus istius
Concilii, ex tunc fuisset Officium Divi
Josephi insertum Breviario & Missali
Romano, quod tamen non contigit
nisi post plurimorum annorum de post
lapsum ut constat: quod sanè argu-
mentum est invincibile non existentie
istiusmodi institutionis.

XIX. Voluit nimirum Deus ut suspicor
hunc Patris sui cultum esse ultroneum
& ex affectu ac devotione populorum,
meritisque Divi Josephi in dies magis
ac magis se manifestantibus non ex ne-
cessitate procedere, ut ille cordis in
tabulis non in lapideis inscriptus nullà
unquam oblivione deleteretur.

XX. Quare licet cultus & devotio Divi
Josephi fuerit in isto Concilio com-
mendatus, multumque Patribus dicti
Concilii placuerit, ita ut ab inde cœ-
perit valde augeri, non tamen tam ci-
tò ubique receptus, sed ab his prius, ab
ab istis posterius; in quibus primum lo-
cum sibi vendicaverunt pleræque Eccle-
siae Galliarum & Valentina Hispania-
rum ex dictis supra cap. 3. sect. 2.
num. 14.

CAPUT VI.

*Incrementa hujus Devotionis
potiora à Sanctissimâ & Se-
raphicâ Theresiâ Carmeli
filiâ, & Carmelitarum So-
rore & Matre Amplissimâ.*

I.  **U**OD ab illâ Seraphicâ Te-
resâ hoc est ex Græco sonò
juxta P. nostrum Leonem à
S. Joanne in Conc. de ipsâ.
*Admirabili, miraculosâ, prodigiosâ, fen-
ter ipsa, Divi Josephi devotio & cultus
incrementa fecerit potiora, ut in ar-
gumento, vix ullus est qui de devo-
tionis istius nostro Ævo progressibus
scripsit qui id non asserat, nullus qui
contrarium.*

II. Audiendus inter illos P. Bollandus
cum locis suis in actis SS. mensis Mar-

tii Tomo 3. ad 19. Martii de S. Jose-
pho §. 9. qui de Sodalitatis Divo Jose-
pho dicatis loquens hæc habet: Car-
meliticus Ordo uti fuit in hoc genere
primus, quantum quidem verisimili
conjecturâ assequimur, sic ubi ad pri-
mævum disciplinæ spiritusque rigo-
rem cœpit per Sanctam Theresiam à
Jesu renovari, languentem quoque
erga sanctum Domini Nutricium de-
votionis affectum tantoperè inflam-
mavit, unâque cum Monasteris suis
toto Orbe Christiano propagavit, ut
qui ex vitâ & scriptis sanctæ Reforma-
tionis cognoverunt quàm ardentè
erga ejus honorem cultumque rapere,
tur, neque satis noverant quãdiu
ante ejus tempora Ecclesie Orientales
seu Latinæ eundem recepissent, exi-
stimaverint huic Sanctæ gloriam illam
reservatam fuisse divinitus, ut per eam
ignotum obscurumque carens Sancti
Josephi nomen & meritum fidelibus
inciperet innotescere, atque in pretio
& deliciis esse. Multumque profecto ipsa
huc contulit, solita hunc Dominum &
& Patrem vocare suum, primum inter
cœlites post uxorem filiumque eidem
honoris locum tribuere, habere ad-
vocatam & intercessorem pro suis ne-
cessitatibus ordinariam; per quem
cùm multa Deum orasse se diceret,
nunquam meminerat tulisse repulsam,
&c. quæ pluribus ipsamet profequi-
tur cap. 6. vitæ suæ. Hæc Bollandus ci-
tatus.

Devotionem hanc quam aliis erat
aliquando tam largitur per se & per
suos fidelibus inspiratura Theresia,
unde hausit? nonne ex Ordinis Spiti-
tu in quo illa fuit ab antiquo ut vidi-
mus? eam in ipsâ magis accendit Bea-
tissima Deipara, dum ei præcepit ut
esset ipsi devota: flammæ ejus etiam
auxit dum aliquando ei cum eodem
Sponso suo apparens manifestavit ejus
venerationem & cultum sibi summo-
perè placere, & vehementer commen-
datum esse: ex quibus quid mirum
quod adeò in illius amores exarserit, ut
vix ullum alium Patronum aut inter-
cessorem apud Deum habere videret-
tur? nulla enim erat necessitas, nulla
difficultas, in quâ non ad ipsum re-
curreret Theresia, nulla in quâ ab ipso
opem

opem non referret hinc ipsa citato capite sexto vitæ suæ sic ait : *Non recordor me quidquam ab eo petiisse quod non obtinuerim.* Ac rursus ibidem ? *Mirabile est,* inquit, *quot quantissq; gratiarum ac subsidiorum beneficiis, per hunc Sanctum me Deus cumularit, & ex quantis cum anima tum corporis periculis eripuerit. Videntur Sanctis aliis ad particularia aliqua beneficia gratia speciales collata: At Sanctus Ioseph, ut ipsa in me aliisq; multis devotis ei personis experimento dedici ad cuiusvis generis auxilia efficaciter probatur invocari, ut indicare velle videatur Deus, se quemadmodum dam in terris existeret ei subditus fuit, ita & in Cælis ad omnes illius nutus condescendere, & velle ipsum ab omnibus honorari quandoquidem ipsemet cum honoravit.*

I V. Porro ut appareat nostram Theresiam à Deo electâ ut hujus Sanctissimi Proto-Patriarchæ cultum promoveret, quod argumentum illo fortius, quod scilicet Christus Dominus ei apprensus visibiliter iusserit ut ipsa quantum posset & per se & per suos illius honorem amplificare studeret : In quo præcepto cum sit valdè singulare & honorificum tres partes sunt considerandæ : Prima, ut cultum Divi Iosephi amplificet : Secunda, ut quantum posset amplificet : Tertia, ut per se & per suos hoc modo amplificet.

V. Quantum ad primum : Cum jam de facto illius cultum multi etiam Sancti conati fuissent promovere ex instinctu, devotione, & affectu particulari, & de facto promovissent, tuncque promovere continuarent, imò & ipsa Theresia hæcenus in illius augmentum non segniter incubuisset; tunc ei additur præceptum, quo ipsa inter omnes eligitur & destinatur à Deo ut ad eum quantum per se & per suos potuerit amplificandum incumbat, ad quod confortatur illâ cœlesti apparitione & plerisque aliis.

VI. Quantum ad secundum : Quandoquidem ei præcipitur ut quantum posset illum amplificaret, ex hoc colligo Deum tunc efficacissimè voluisse ut cultus ille amplificaretur quantum amplificari poterat. Certè ad hoc Theresiæ nostræ electio congruentissima apparet, nam qua ratione melius ampli-

ficari potuisset quàm per tantam Heroïnâ, & suos tot & tantos, toto terrarum orbe diffusos & diffundèdos, iubente Deo, ac cõsequenter illis dante ut amplificare possent modo quo volebat?

Quantum ad tertium patet admirandam illam Viraginem & Matrem amplissimam primariò & suos à Deo specialissimè electos ad illius cultus amplificationem : & hoc est horum & illius non modica gloria. Nimirum ut Deus Carmelitici Instituti Professoribus est usus ut huic cultui saltem ut est publicus, initium daret, quemadmodum supra insinuavimus, ita videbatur æquum, ut eam toto orbe universalem & celebrem facturus iisdem hanc provinciam committeret : ut proinde Carmelitarum Cœtui candido inter alia illud debeat orbis quod tanti Tutelaræ merita plenè agnoverit, ejusque potentissimo præsidio usus sit.

Ex his tribus unum restat enucleandum, qui sint illi qui veniunt intelligendi in isto Dei ad S Theresiam præcepto sub nomine *suorū*, per quos sicut & per se præcipitur cultum istum amplificare quantum posset? Respondeo breviter intelligi omnes omninò Carmelitas. Ratio est, quia tunc Sancta Theresia non erat separata à nobis, quia ipsa Sanctissima Mater suam Reformationem instituit sub eodem habitu, colore, forma, sub eadem regulâ ac sub obedientiâ ejusdem Capituli quo cæteri; ab eâ nunquam se separavit dum vixit, atque sub eâ eandem Reformationem suam tenuit in quâ & mansit usque ad Capitulum Generale Cremonæ celebratum anno 1593. circiter undecim annis post mortem Seraphicæ Matris, in quo propter eorum stupendam in tam exiguo tempore multiplicationem, & ob id necessitate exigente fuit eis ibidem presentibus & in eo Capitulo vocem & locum habentibus permittum sub certis conditionibus habere proprium Generalem, à quo secundum sua particularia Statuta regerentur. Secundò, quia & ipsa Excalceatorum nostrorum Reformatio propter certas causas divisa est in duas, scilicet Congregationem Hispaniæ, quæ est primaria; & Congregationem Italiæ, quæ ei accessit, & hæc sub

VII.

VIII.

sub duobus Generalibus: si ergo illa
duæ Congregationes propter dualita-
tem Generalium, non faciunt duos
Ordines: quare propter diversitatem
Generalium Congregationes illæ in
Ordine facerent alium Ordinem ab
antiquo distinctum? Quare nostri Ex-
calceati non aliud vocabulum assu-
munt quàm istud, *Frater N. N. Ordinis Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, Congregationis Excalceatorum, &c.* & prudentissimè: attendunt enim ad petram undè excisi sunt, & ad cavernam lacu de quâ præcisi sunt: attendunt ad Eliam Patrem suum & nostrum, & ad Theresiam quæ peperit eos, & quæ unum nos vocavit & eos. Tandem quia post obtentum Generalem pro suâ Congregatione, Clemens VIII. in litteris suis Apostolicis expeditis die 23. Martii 1594. & die 20. Augusti 1603. (quas postea confirmavit Paulus V.) ad favorem nostrorum Excalceatorum, declaravit illorû Congregationem esse unum de quatuor Ordinibus Mendicantibus, scilicet Carmelitarum, eique ob identitatē illius cum Ordine primario, competere omnia omnino privilegia quæ Ordini: & reciprocè Clemens X. in Bullâ datâ Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 31. Octobris 1670. Pontificatus sui anno primo, quæ incipit, *Ad uberes honorum operum fructus*, omnia & singula quæ Congregationi Excalceatorum concessa fuerunt Ordini Carmelitano competere propter eandem rationem. Ultimam hanc Bullam dare, ad calcem hujus Capituli non pigebit aliis relictis, quia in hac illud quod in aliis exprimitur.

- IX. Cùm ergo unus sit Ordo ex Calceatis Patribus & Discalceatis, ergo omnes Carmelitæ sunt unius corporis membra, seu, ut ait Apostolus, membra de membro, & consequenter omnes intelliguntur sub isto præcepto factò divinitus Sanctæ Theresiæ: alii ut Fratres, alii ut Filii. Nec ubi jura nihil distinguunt, nos quidquam distinguere debemus.
- X. Non etiam aliter Patres nostri sub Generali Antiqui Ordinis senserunt: Hi enim eandem sibi Provinciam demandatam existimantes in idem non

impigram navarunt operam: Cùm in toto Ordine quâcumque per orbem diffuso, passim Festum Sancti Josephi unum sit ex primariis, in quo eadem propositæ ubique Indulgentiæ, quæ apud Excalceatos nostros, Conciones à celebrioribus habitæ, & in eo promovendo semper defudatæ à nostris celebrioribus Doctoribus & Concionatoribus, ut patet ex eorum de illo Libris, Tractatibus, Concionibus: inter quos eminuerunt præcipuè Patres *Hieronymus Gratianus* libris quinque de Sancto Josepho. *Thomas Beauxamis* Ecclesiastes ordinarius Christianissimi Regis, tum in suis Concionibus, tum in suis Commentariis in Evangelia præclarissimis. *Petrus Petri*, & *Leo à Sancto Joanne*, ejusdem Christianissimi Regis post præfatum Thomam Beauxamis, successivè Concionatores Ordinarii. *Christophorus Avendano* Catholici Regis Ecclesiastes summus, & totâ Hispaniâ, imò toto orbe famosissimus: cujus Conciones adhuc ipso vivente 14. vicibus in omni linguâ recusæ. *Anastasius Cocheleus* Hæreticorû Belgii malleus, *Joannes Cheron*, *Daniel à Sancto Josepho* in Concionibus de illo impressis. *Joannes à Sylveira* Lusitanus in suis doctissimis in Evangelia Commentariis passim per quinque tomos. Reverendissimus *Franciscus Suarez* Magni Cairi Episcopus, Christianissima Reginae Annæ Austriacæ à Concionibus & Consiliis. *Matthias à Sancto Joanne* Provincialis Turoniarum tomo 2. part. 4. suæ Hyst. Panegyri. de Ord. Carm. & alii sine numero.

Emicuit præcipuè in hoc antiquo Ordine, & sub illius Generali nostra Reformatio, quæ incepit à Conventu Rhedonensi in Armoricâ anno 1604. antequam Reformatio S. Theresiæ ad Provincias Galliarum transisset: Cujus Primarii Patres se totos Sanctissimo Proto-Patriarchæ devoverunt: Et merito quidem, Primò, quia certum illis est Sanctissimam Virginem, quæ Ordinis est (ut etiam pronuntiavit Romæ Sacra Rituum Congregatio in suo Decreto de 29. Junii anni 1670.) *Singularissima Patrona*, ardentissimè percipere, ut castissimo Sponso suo honore pro meritis reddatur, idèdque id imprimis

primis expectare ab illis, utpotè qui sunt Filii, Fratres, & Domestici sui. Secundò, quia certum est etiam, & illis notum extitit, quod, ut tales, speciali quodam jure pertineant ad Divum Josephum, utpotè Sanctissimæ Virginis verum Conjugem: qui proindè legitime præsumere potuerunt se vicissim à Divo Josepho, ut Domesticos, ut Fratres, ut Filios, aspici & haberi: quem admodum enim ille titulo matrimonii jus Patris acquisivit in Christum ut suæ Conjugis filium, quem proindè ut filium suum adpexit, amavit, curavit, tractavit; sic credibile est eodem titulo Carmelitas ad illum pertinere, & in ejus possessionem transisse, atque ab ipso tanquam rem propriam haberi, tractari, amari, curari. Cùm ergo hæc illi probè scirent, nec ignorarent se ad hanc suam Reformationè fulciendam potenti auxilio indigere, non aliud duxerunt requirendum, quàm Divi Josephi, quod non ignorarent esse omnium potentissimum, & propter rationes mox tactas futurum promptissimum.

XII. Quare à præfato Conventu Rhodensis incipientes, primò ipsum sicut & Reformationem, quam ab eo suscipiebantur, ejus clientelæ subjece- runt, atque solemnè promissione voverunt se ejus honorem quantum in ipsis foret zelaturos, quam promissionem mox ibidem cæperunt exequi tanto fervore, ut Festivitas Sancti Josephi in isto Conventu, sit una ex primariis totius illius nobilissimæ & inelytæ Civitatis, in quâ unum est ex septem Regni Parliamentis: moxque eadem Reformatione sub ejus potenti & efficaci Patrocinio, non sine amabili stupore, radices agente: cùm cis à Familiâ illustrissimâ novum Monasterium oblatum esset, non alium illius Titularem & Tutelarem voluerunt quàm Divum Josephum. Quod exemplum postea imitatae sunt aliæ Ordinis Provinciæ in Galliâ, Germaniâ, Belgio, Poloniâ, Italiâ, & Hispaniâ, apud quas hæc Reformatio dimanavit, in quibus & nova Cœnobita ejus honori condita sunt, & antiqua ejus Festum cum maximâ solemnitate, Indulgentiis, Encomis, Concio-

nibus in ejus laudem celebrant: ac omni die in Precibus Vespertinis, ante Benedictionem Superioris post examen Conscientiæ totius diei in Choro vel Oratorio domestico, post Beatam Virginem, & ante Sanctum Patrem nostrum Eliam, Responsorio, Versu, & Oratione salutatur.

Hæc porrò observare volui, tum ut nostri instituti Professores suorum vestigia Patrum præmentes, nunquam obliviscantur, hoc divinum ad Theresiam suam præceptum illos tangere, seque, tanquam in id cœlitus destinatos, cum eâ collaborare debere, ut quantum fieri per eos poterit, hic cultus semper magis ac magis crescat & augeatur; primò, in nobis ipsis, deinde in aliis: tum etiam ut ex hoc candidus Lector percipiat studii & conatum meorù in hoc opere rationem: videatque quo impulsu illud aggressus sim, ut si minus dignè pro argumenti merito locutus sum, excuset imperitiam, qui videt voluntatem.

Porrò ut ad rem nostram à quâ non inutiliter, quantum quidem reor, non nihil sumus digressi redeamus, his celestibus monitis obtemperans Seraphica Mater, Primò, ipsam suam congregationem ipsius Clientelæ subjecit, quæ & ipsum à cunis suis ut patronum suum singularissimum agnoscit, quem & ipsa Congregationis Fundatorem appellare solebat, & Congregatio mirandorum progressum suorum in tam exiguo tempore promotorem veneratur: de quo sub nomine & titulo Patroni fecit semper officium & solemnitate ubique gentium primariam, ut patet ex Manuali Divinorum Officiorum istius Congregationis, quod fuit primum ab istâ Congregatione ordinatum in Conventu Sancti Hermenegildi Madritensi idibus Augusti anno 1590. undecim annis post obitum S. Theresiæ, Reverendis Patribus Nicolao à Jesu Maria Vicario Generali Congregationis (necdum enim tunc habebant Generalem) Ambrosio Mariano, Joanne Baptista, Antonio à Jesu, Joanne à Cruce nunc Beatorum Catalogo à Summo Pontifice adscripto, & Gregorio à sancto Angelo ejusdem Congregationis Con-

Xxx

siliariis

Synopsis

filiariis seu Diffinitoribus: ubi & in Officio, & in Missâ Festi Sancti Josephi ponitur sic, *In Festo sancti Joseph Confessoris, Genitricis Dei Sponsi, & nostræ Congregationis Patroni.*

XV. Quare & ipsa Seraphica Mater ex hoc, non tantum primum ejusdem suæ novæ Congregationis Monasterium, prout Christus ipse ei jusserat, ejusdem nomini & honori nuncupatum esse voluit, sed & omnia penè quæ vivens ipsa extruxit (extruxit autem licet inops Virgo duo supra triginta, omnibus humanis auxiliis destituta, immò adversantibus plerumque sæculi Principibus) promovente utique abs dubiè unico Patre suo (sic Divum Josephum vocitare solebat pia filia Theresia) & Patrono potentissimo æquè ac benignissimo.

XVI. Quàm Sanctissimæ Matris pietatem pii filii incitati, ipsâ mortuâ vix ullum per totum orbem terrarum excitantur Monasterium, quod non ei etiam consecrarint, & ejus nomine insignitam esse voluerint: ut proinde Sanctissimus Joseph, non tantum istius Congregationis nostri Ordinis toto Orbe diffusa, sit tutelaris à Christo filio & Sanctissimâ Virgine conjuge ejus datus, & à Seraphicâ Theresiâ adlectus, sed etiam singulorum ejus Monasteriorum titularis: propter hoc verò quantis fuerit celestibus cumulata benedictionibus quis edicat? Quoties illa Sanctissima Mater illius modò solius, modò cum Conjuge suâ Deiparâ, modò cum hâc & Christo Domino visitationibus consolata est? Quoties ab illo evidenter miraculosè in suis necessitatibus adjuta? quoties in morbis periculosis, & discriminibus mirabiliter ab eo erepta? & quantis ò Deus Immortalis! in his omnibus perfusa gaudiis? quàm divinis incensa amoribus, ut patronum illum suum tam sibi præsentem, potentem, benignum, providum, faventem, amabilem, magis & magis deperiret?

XVII. Zelum verò illius ad extra pro ejus honore propagando quis exprimere possit? experta quippe ipsa tam mirabiliter in se hujus devotionis uberes fructus, quomodo charitate incensa non optasset ad omnes tam divitem

dimanare fontem? Et à Deo jussa, quomodo illa non obsecuta fuisset, quæ sibi etiam ex non præceptis, sed cognitis tantum melioribus, tam arduam ex voto legem fecerat?

Cæpit ergo illa cum suis, idest Fratribus & Filiis huic sibi cœlitus injuncto strenuè incumbere operi; cœpitque Deus eorum piis conatibus per infinita miracula velificari, quorum nonnulla suo loco dabimus, idest sequenti Tractatu: eoque affectu, zelo, & fervore rem istam undique per se & suos profecuta est, ut cum ante Theresiam necdum relatus esset Divus Josephus in Breviarium Romanum, & nec dum à plurimis veneretur Ecclesiis, brevi temporis spatio, benediciente Sanctis ejus & suorum Carmelitarum conatibus Deo, ita profecerit, ut non tantum ab omnibus totius orbis Ecclesiis receptus sit, sed etiam ut vix ullus reperiretur pius & fidelis, qui non ipsum in Patronum & in præcipuis, quidem adlegisset; vix ulla esset Civitas, in quâ non aliqua illi ædificaretur Ecclesia, vel Capella; vix ulla Ecclesia, in quâ non esset saltem aliqua ipsius Statua; vix ulla domus, in quâ non aliqua ejus inveniretur imago.

Hinc omnes quotquot ab inde fuerunt hoc avo omnium Statuum & Ordinum magni nominis Viri, magnanimæ hujus Viraginis & suorum præclarissimis excitati exemplis efficacissimis, victi rationibus, certatim & quasi per æmulationem sese eis adjunxerunt, atque in idem, in quod ipsa & illi incubuerunt, ingentibus dico animis, quâ votis, quâ encomiis, quâ scriptis, quâ concionibus, tam sanctum & tam evidens ex Deo opus promovere: hincque laudes ejus solemnius semper, semperque sollemnius celebrari perrexerunt, ac tandem conspirantibus in singularem ejus venerationem concordî animo, omnibus, pusillis & magnis, nobilibus & plebeis, Principibus & subditis, Ecclesiasticis & Religiosis, Clero & Populo, factum est, ut Fidelium pietas Ecclesiæ Decreta præveniret, diesque ejus debita (ut merito illis persuasum fuit) gratitudine,

Magnalium
D.
Josephi
S.V.

gratitudine, beneficiorumque ejus no-
 vorum religiosâ præstolatione ultrò
 sanctificatus sit, teste Matthia Navæo
 Doctore & librorum Censore Duace-
 no in Encomiis Sancti Josephi orat. 1.
 habitâ Duaci anno 1626. ad finem.
 Meritò justissimèque id sibi persua-
 dentibus omnibus, quod quem Con-
 ditor ac Redemptor noster filiali, ut
 Patrem amantissimum, atque ut Spon-
 sum lectissimum Conjugali Virgo Dei-
 para honore & amore prosequuti sunt,
 hoc est singulari, & cui nullus similis;
 speciali etiam ac præcipuo quodam
 Religionis cultu ab omnibus esse sus-
 piciendum & celebrandum: Ut proin-
 de à tempore Theresiæ Sanctissimæ
 impletum cernamus, quod Isidorus
 Molanus 3. parte, cap. 6, quasi prophe-
 tico prænuñciavit spirititu abhincannis
 160. circiter. *Spiritus sanctus non de-
 fiet à movendis cordibus fidelium, donec
 omne Imperium militans Ecclesia exul-
 tans, divinum Iosephum nova prosequatur
 veneratione, condat canobia, Ecclesias
 ac Altaria in ejus erigat honorem. Festa
 celebrabuntur, & ei vota vorvent, &
 solvent cuncti populi: aperiet Dominus
 aures præcoriorum intellectus, & viri
 magni scrutabuntur interiora Dei dona
 abscondita in sancto Iosepho, & inveni-
 ent thesaurum optimum, qualem apud Sanctos
 Patres veteris Testamenti non inveni-
 runt: Pinguedo enim & abundantia do-
 norum spiritualium in sancto Iosepho
 spiritualiter micuerunt, ita ut similis ei
 non inveniatur: Sancti enim novi Testa-
 menti à Christo dicti sunt amici, Ioseph
 verò Pater ab eo vocatus est, &c.*

XX. Neque ex his tantum pater Sanctam
 Theresiam & Carmelitas, ut Authores
 hujus devotionis, sic illius & præcipuos
 esse promotores: sed etiam ex hoc
 quod huic Ordini toti, non alteri, &
 omnibus ac singulis illius Ecclesiis
 Pontifices plenarias ac perpetuas In-
 dulgentias pro ejusdem Sanctissimi
 Proto-Patriarchæ festo concesserint,
 ut scilicet eorum in illum Sanctum
 merita hoc speciali favore prosequen-
 rentur, & ut quod tam feliciter ad
 Dei gloriam & Ecclesiæ bonum cæpe-
 rant, felicissimè prosequerentur:
 Fidelium nempe ad suas Ecclesias con-
 currentium devotionem erga Sanctis-

simum Patrem Jesu, & Virginis
 Conjugem, magis & magis augere:
 quas Indulgentias ad calcem hujus
 Capituli commodius remittens, finito
 hanc materiam per verba Matthiæ
 Navæi citati.

Utinam, ô utinam Beatissima Ma-
 ter Theresia hunc novi luminis & ar-
 doris solem fulgentissimum citiùs no-
 bis enubilasses, hunc nobis con-
 tra Herodianas, aliasque persecutio-
 nes omnes Proccorem potentissi-
 mum citiùs commonstrasses, hoc nô-
 bis Divini Amoris, Angelicæ purita-
 tis, Christianæ mansuetudinis, alia-
 rumque virtutum exemplar præcla-
 rissimum, citiùs exhibuisses, hunc,
 inquam, benignissimum, propen-
 sissimum, ac potentissimum morta-
 lium in Cœlis Patronum citiùs nobis
 proposuisses, ut tantâ quæ nunc est,
 quæque major semper futura est, fan-
 ditatis ac patrociniolorum ejus gloriâ
 citiùs latificati fuissetis.

XXII. Sed illam nimirum Virgo Angelica,
 Mater pietissima, Christi Amatrix,
 ferventissima, Ecclesiæque ejus colum-
 na firmissima, illam gloriosi honoris
 prærogativam, communisque felici-
 tatis gratiam amplissimam, in tua tibi
 tempora, nobisque per te omnibus
 Deus reservarat, ut eum tibi, Fami-
 liæque Reformationis tuæ in sanctita-
 tis ejus testimonium, notamque ful-
 gentissimam, Instructorem, Patronum
 ac Tutelarè daret; ac per te præferim,
 tuosque pariter gloriâ ejus amplius quam
 unquam toto orbe propalaret. Titulus
 profectò ad mortales omnes, tibi de-
 tanto per te hujus manifestationis be-
 neficio eis præstirò vehementer ob-
 stringendos, vel solus sufficiens, idem-
 que maximus.

XXIII. Atque utinam & nos ita Christi Do-
 mini, Genitricisque ejus hortatu, ac
 jussu, atque Viraginis hujus Sanctissi-
 mæ monitis & exemplis, eum hono-
 remus, glorificemus, imitemur, in-
 vocemus, atque omnino colamus, ut
 apud Dominum ac Filium ejus, Deum,
 Judicem nostrum Patronali Paternoque
 ejus favore gaudere, atque in Dei gra-
 tiâ usque ad contuendam ejus gloriam
 in dies crescere possimus. Amen.

S. 1.

Sequitur Bulla perpetua Urbani Papae VIII. pro Indulgentiis Plenariis in Festo Sancti Iosephi in omnibus Ecclesiis Carmelitarum.

URBANUS Papa VIII. Servus servorum Dei, ad Perpetuam rei memoriam: Splendor paterna gloria, qui suam mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de Clementissima ejus Majestate sperantium, tunc praecipue benigno favore prosequitur, cum devota eorum pietas, Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Volentes igitur omnes, & singulas Ecclesias, tam Fratrum, quam Montialium Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiae, ubicumque existentium, aliquo speciali munere illustrare, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus autoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere penitentibus & confessis, ac sacrae communionis resectis, qui aliquam ex dilectis Ecclesiis die Festo sancti Iosephi à primis Vesperis, usque ad occum Solis diei huiusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresium extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, piis ad Deum precibus effuderint, plenariam: iis verò qui orationi Quadraginta Horarum, de licentia Ordinariorum locorum in Ecclesiis dictorum Fratrum, tantum semel in anno instituenda, per aliquod temporis spatium devotè interfuerint, & ut praefertur oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Presentibus, perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod praesentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personae in dignitate Ecclesiasticae constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, qua in his praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensa. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die

10. Maii 1624. Pontificatus nostri anno primo. Erat Signatum

V. THEATINUS.

S. 2.

Sequitur Bulla Clementis Papae X. promissa hic supra num. 8. quae precedentem Indulgentiam, aliisque Privilegia nostris Excalceatis nominatim à Sancta Sede concessa, Carmelitibus antiquis propria esse, & vicissim illa quae antiquis Carmelitibus concessa sunt, Excalceatis competere declarat & statuit.

CLEMENS Papae X. Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam: Ad uberes bonorum operum fructus, quos dilecti filii Fratres Calceati nuncupati Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, aspirante superni favoris auxilio in Ecclesia Dei proferre assidue tagunt, paterna dirigentes considerationis intuitum, rationi consentaneum reputamus, ut religio, a eorum studia, felicesque progressus, spiritualium gratiarum atque Privilegiorum muneribus confoveamus, atque decoremus. Cum itaque licet dilectus filius Matthaeus Orlandus Prior Generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, dudum felicitis Recordationis Clemens Papa VIII. Praedecessor noster, per quasdam suas aie 23. Martii 1594. & die 20. Augusti 1603. expeditas litteras, qua subinde à fel. mem. Paulo Papa V. Praedecessore patris nostri confirmatae fuerunt, Congregationem Fratrum Discalceatorum nuncupatorum ejusdem Beatae Mariae de Monte Carmelo esse unum ex quatuor Ordinibus Mendicantibus, Ordinem scilicet Carmelitarum, ipsique Congregationi, & Fratribus Discalceatis, omnia ad praedictum Ordinem tam de jure, quam ex Privilegio attinentia, tanquam propria competere, ac ejusdem Congregationis Praepositum Generalem, Fratres & Montiales, Domos, Conventus

Conventus, & Collegia, ceteraq; eidem pertinentia respectivè Privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, & gratiis dicto Ordini concessis, & concedendis uti, potiri, & gaudere debere declaverit, & alias prout in prædictis litteris uberius continetur: Licet autem Fratres Carmelita Calceati omnibus Privilegiis, Indulgentiis, & gratiis, prædictæ Congregationi Fratrum Discalceatorum concessis hætenus frui sine, in vim dictæ declarationis, quâ ob identitatem ejusdem Congregationis cum Ordine Carmelitano, decernitur id quod uni est concessum, alteri quoque tanquam proprium competere: nonnulli tamen circa hoc scrupulum subinde patiuntur, eo quod non adsit expressa declaratio pro FF. Carmelitæ Calceatis, sicuti est pro Discalceatis: nobis propterea dictus Mattheus Prior Generalis humilimè supplicari fecit, ut in præmissis oportune providere, & ut infra in ulgere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipse Matthei Prioris Generalis votis hæc in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, à jure vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac tam dictarum, quam aliarum quarumcumque litterarum Apostolicarum, ad favorem memoratorum FF. Discalceatorum, eorumq; Congregationis quomodolibet, & quandocumque emanatarum tenores, presentibus, pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædicto Ordini ejusq; FF. Calceatis, & Monialibus, ac Domibus, Conventibus, Collegiis, ceterisq; ad eisdem quomodolibet pertinentibus respectivè, ut omnibus & singulis privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, & gratiis, quæ dictæ Congregationi FF. Discalceatorum, ejusq; Fratribus, Monialibus, Domibus, Collegiis, ceterisq; ad ipsam Congregationem quomodolibet pertinentibus, hætenus per Sedem Apostolicam quomodolibet, etiam cum clausulâ prohibitiivâ communicationis, concessa

fuerunt, & in futurum quandocumque concedentur, dummodo tamen sint in usu, nec revocata, aut sub aliquâ revocatione comprehensa, pariformiter & absque ullâ prorsus differentiâ, uti, frui, potiri, & gaudere liberè & licite possint, & valeant in omnibus, & per omnia perinde ac si eidem Ordini ejusq; Fratribus Calceatis, Monialibus, ac Domibus, Conventibus, Collegiis, ceterisq; ad ipsam Ordinem pertinentibus, hujusmodi nominatim & expressè concessa fuissent, & in futurum concederentur, autoritate Apostolica, tenore presentium, concedimus & indulgemus. Decernentes easdem presentes litteras semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosq; plenarios integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumq; spectabit, in omnibus & per omnia plenissimè suffragari. Sicut in præmissis per quoscumq; Iudices Ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & desiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quacumque quavis Autoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac nostrâ, & Cancellaria Apostolica Regulâ, de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisq; Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus & singulis illis, quæ in prædictis litteris Apostolicis concessa sunt non obstante, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut ipsarum presentium litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis presentibus adhiberetur, si exhibita vel ostense forent. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 31. Octobris 1670. Pontificatus nostri anno primo. Erat signatum.

J. G. SLUSIUS.

Synopsi.

ideo hic de utriusque prefati statu sigillatim.

CAPUT VII.

De Statu Devotionis, seu Cultus S. Josephi.

SECTIO PRIMA.

De statu presenti Cultus Divi Josephi, ut est publicus.

I. **P**OST QUAM hujusce Cultus & Devotionis Sancti Josephi originem ostendimus & progressus, restat nunc ut de ejus statu paucis disseramus: Cum autem de statu hujus Devotionis post ortum & progressum ejus loqui intendo, non ipsius consistentiam intelligo, ut forte alicui de primo aspectu videri posset, quasi ista devotio eum nunc attigerit magnitudinis vel augmenti terminum, in quo stabit, & ultra quem non sit deinceps progressura; absit: Etsi enim sit hodie inter omnes Catholicos universalissima, & inter Festivitates Sanctorum toto orbe Christiano celeberrima; quia tamen non ubique terrarum Fides floreret Catholica, potest adhuc ejus cultus, ut & fides, & universaliter & particulariter extendi. Et quia Catholici ipsi qui ejus merita agnoscunt, possunt ei magis affici, & plura pro illo quam hactenus prestare, potest etiam ille cultus intendi, ac sic potest & intensivè & extensivè crescere, & utroque modo tam in communi quam in particulari, idest & quoad cultum publicum, & quoad particularem: Cumque ille, ob summam suam post Deiparam dignitatem, ac merita ei proportionata, piè credatur summam etiam post Deiparam invenisse gratiam, & obtinuisse potestatem apud filium suum Christum Dominum; ideo sperandum fore quod hac devotio hoc utroque modo, idest & extensivè & intensivè, & publicè & in particulari, magis semper & magis augebitur & crescat.

II. Non ergo hic aliud intendo nisi statum præsentem hujus cultus & devotionis, quæ novis semper in dies facit progressus, ostendere, ut exinde ejus magnitudo, ad quam promovente principaliter Seraphicâ Matre Theresiâ pervenit, colligi possit: & quia, ut distinximus adhuc supra, alius est cultus publicus, alius privatus

III. **C**ultus publicus, qui & solemnissimus est proprius Sanctorum Canonizatorum: Nomine autem Sanctorum Canonizatorum, non illos solos intellige qui sunt in Canone Missæ (à quo forte hujusmodi primitus appellatio) inscripti, aut qui per Summum Pontificem cum solemnitatibus & ceremoniis, quæ jam sunt in usu, canonizati sunt: quàm pauci enim essent Sancti quibus cultus publicus deberetur, sed etiam illos omnes qui ex antiquâ traditione, seu Ecclesiæ consuetudine, tales habentur. Ita noster Lezana in summâ quæst. regul. tomo 4. verbo *Reliquiæ Sanctorum*, num. 7. & alii ab eo citati.

IV. Porro honores publici qui Sanctis Canonizatis ab Ecclesiâ decernuntur & deferuntur, & in quo consistit publicus illorum cultus, ex Bellarmino tomo 1. controvers. 7. generali lib. 1. cap. 7. quem sequuntur noster Lezana tomo 4. quæst. regul. verbo *Sanctorum Cultus* & alii. Sunt septem: Primò, quod scribantur in Catalogo Sanctorum, idest quod jubetur & statuitur ut ab omnibus habeantur Sancti. Secundò, quod invocantur in publicis Ecclesiæ precibus. Tertiò, quod Tempora & Aræ eorum nomine dicantur Deo. Quartò, quod Sacrificium tam Eucharistiæ, quàm laudum & precum (quod vulgò Divinum Officium, seu Horæ Canonicæ nuncupantur) in honorem eorum Deo publicè offeratur. Quintò, quod dies festi in eorum memoriâ celebrantur. Sextò, quod eorum Imagines depingantur caput cincti quodam lumine in signum gloriæ quam possident eorum animæ. Septimò, quod eorum Reliquiæ publicè exponuntur honorandæ. His positis.

V. Dico, constat Sanctum Josephum esse de numero Canonizatorum modo mox

Magnalia
D.
Josephi
S. J.

mox explicato, cum nullum unquam extiterit tempus, in quo non fuerit ab Ecclesiâ, & à Sanctis Patribus habitus & dictus Sanctus. Sed cum & ejus Sanctitatem ipse Spiritus Dei revelaverit, & digitus Dei scripserit in Evangelio, atque etiam ejus super omnes Sanctos eminentiam idem Spiritus ibidem in ejus eminenti super omnes Sanctos dignitate, cui gratiæ & merita commenturata sunt, signaverit, quis non videt quantum supereminet hæc illius Canonizatio omnibus aliis?

VI. Verum cum primus honor, qui est inscriptio in Catalogo Sanctorum, parum differre videatur ab ipsius canonizatione: secundus vero, qui est de Invocatione ejus in publicis Ecclesiæ precibus, videatur includi in quarto, qui est de sacrificio tam Eucharistiæ, quam laudum, seu Officii Divini, & Horarum Canoniarum. Septimus qui est de Reliquiis ejus sit res jam acta Tractatu præcedenti cap. 4. Sextus qui est de Imaginibus ejus, sit minoris momenti, de quibus in genere controversiam edidi Leodii anno 1655. typis Balduini Bronckart, id eo his prætermisissis, de tribus reliquis breviter.

VII. Ac primo quidem de Templis & Aris sub ejus celebri Nomine Deo dicatis, dico quod licet ex dictis, ante Sanctam Theresiam coleretur & publice & privatim Divus Josephus, & cultus ejus non esset mediocris, vix tamen unum ante ipsam posse reperiri Templum quod fuerit sub ipsius Nomine Deo consecratum. Capellæ etiam seu Aræ raræ. Extabant tamen nonnullæ in Italiâ, Germaniâ, Galliâ, ex quibus celebriores fuerunt illæ, quibus certæ Sodalitates seu Confraternitates affixæ, inter quas illæ quæ Avenione, quarum una à Gregorio Papa XI. in Basilica Sancti Agricolai, altera in majori Ecclesiâ. Vide dicta de his supra hoc Tractatu cap. 3. num. 16. Item illa quæ apud Patres nostros extat Colonia Agrippinæ erecta anno 1495. 25. Aprilis, & à Cardinale Raymundo Legato Sanctæ Sedis circa annum 1550. confirmata. De quâ Ægidius Gelenus lib. 3. de magnitudine Colonia Agrippinæ Syntagm. 43. §. 7.

Voluit quippè Deus hujusce initia honoris, Magnæ Sancti Josephi Zelandrici Sanctæ Theresiæ reservare, quæ foeliciter auspicante per primum suæ novæ Congregationis Templum Abulæ in Hispaniâ, & tot alia quæ vivens ædificavit, & ei dicavit, prosecuti sunt ad ejus exemplum, & juxta ejus monita, ejus filii & filiæ in eâ Congregatione ubique terrarum, ita ut nulla sit istius Congregationis Ecclesiæ, quæ non sit vel illius Nomine dicata, vel (si ob certas rationes ab aliquo alio Sancto nomen sortiatu seu vocabulum) in quo non teneat primas D. Josephus, uti earum primus Dominus, ex priori & irrevocabili titulo consecrationis per Sanctam eorum Matrem Theresiam uti Parentem ipsi factæ: qui tamen alios Sanctos uti Amicos suos in Domum suam cum honore recipi consentiens, primi tamen Titularis & Tutelararis prærogativâ non amittit. Itaque quot Ecclesiæ in toto orbe terrarum Carmelitarum & Carmelitarum Sanctæ Theresiæ, tot Ecclesiæ S. Josephi.

idem fecere primi Patres nostræ minime Reformationis à Cöventu Rhedonensi ortæ, qui primum quod à Reformatione eis datum est Monasterium & Templum, eidem Sanctissimo Patri Jesu, ab ipsis in Tutelarem suæ Reformationis electo, dedicaverunt: quos secuti sunt in Galliâ, Italiâ, Germaniâ, Poloniâ, Belgio, & alibi, qui Reformationem istam amplectati sunt, cum tanto zelo, ut in Templis jam conditis ubi potuerunt, Capellam seu Aram ei erigere magni duxerint.

Taceo alios aliorum Ordinum noviter institutorum Professores ut Patrum Minorum Sancti Francisci de Paulâ, Patrum Societatis Jesu, Patrum Theatinorum, Patrum Capucinatorum, Patrum Oratorii, &c. Monialium Vistationis Sanctæ Mariæ, Fundatore Sancto Francisco Salesio Episcopo Gebennensi; Ursularum, Sepulchri narum, & Filiorum Verbi Incarnati in Galliâ, qui & quæ certatim Templum seu Oratoria sua Divo Josepho consecrarunt: venio ad PP. Recollectos, qui Duce eorum præcurrente Sancto Petro de Alcantarâ ejusdem Sanctæ

Mattis

Marris Theresiæ amico & familiari, ex quâ ille (sicut illa alia ex ipso) eam devotionem in Sanctum Josephum hauserat, vel certè au xerat, quâ factum, ut primam ille suæ Observantiæ Provinciam à se erectam, illius nomini & honori consecravit, & clientelæ subjecerit, quam Sanctissimi Patris piissimi filii, ejus Spiritus Religiosissimi haeredes imitati, & Ecclesias plures sui instituti, quas noviter acquisierunt, & Provincias integras ab eodem appellationem suam sortiri voluerunt: ex quibus omnibus factum, ut Templum & Ara sub Divi Josephi invocatione brevi tempore in Europâ ad miraculum excreverint in multitudine: an non enim miraculum quod cum ante Theresiam vix unum Templum, vix ullæ reperirentur illius Cappellæ vel Aræ, ipsâ incipiente & præeunte, nunc nulla ferè sit in hoc Christiano orbe civitas in qua non sit aliqua illius Ecclesia? & quam multæ ubi plures? quid quod jam nulla ferè sit Ecclesia notabilis in quâ non incipiat videri aliqua ipsius Ara?

XI.

Et hæc quidem de titulis ipsius in Europâ: quid verò de illis qui in aliis mundi partibus? scribit P. Fullonius Jesuita Leodiensis, ad primum librum Machabæorum Indice 1. Concion. in *Quatrag.* & Feste incurrentia in die Sancti Josephi: *Apostoli Franciæ novæ nomine ejus invocato mira patravère: In Oriente nomen ejus ubique celebratur: In America urbes & Regiones ab ipso appellationem sortièrè.* Quomodo magis ergo Ecclesiæ quæ ibi ædificantur? Quis ergo his nostris diebus in hoc genere honori post Deiparam ei æquandus?

XII.

Quod spectat Sacrificium & Officium divinum, seu Horas Canonicas & preces publicas, licet hoc genus honoris publici ab Ecclesiâ Hierosolymitanâ cœpti, à Carmelitis ab illis partibus ad has oras transmeantibus, cum Breviario istius Ecclesiæ, quo semper usi sunt, traductum fuisset, & usitatum in eorum Ecclesiis, ac deinde ab aliquâ Ecclesiâ Italiæ, Germaniæ, Suediæ, Galliarum, & Hispaniarum pervenisset ante Sanctam Theresiam nostram; quàm paucæ tamen illæ? Sed à tempore hujus Seraphicæ Marris, crescente

in dies mirabiliter ubique gentium affectu & amore erga hunc Sanctissimum Patrem JESU: tandem auctoritate Summi Pontificis hic ei cultus publicus in toto orbe Christiano delatus est, relato in Breviarium & Missale Romanum ejus Officio.

Dices in Missali ad usum Ecclesiæ Romanæ Parisiis impresso apud Desiderium Mahen anno 1532. cum tunc Theresia vix decimum septimum annum attigisset (mortua est enim anno 1582 annos nata 67.) invenitur Festum & Missa de Sancto Josepho: Respondeo id inde contigisse, non quod tunc esset in Missale Romanum auctoritate Summi Pontificis de facto relatum Officium Divi Josephi, sed quod cum Missale Romanum imprimeretur in istâ Regni Gallici Metropoli, in cuius pluribus Ecclesiis, ac præcipuè in ipsâ Parisiensi, Officium publicum de Divo Josepho tunc fiebat, accomodatum fuit illud Missale ad usum Regni pro quo maximè imprimebatur, consequenter additis ad illud propriis Regni istius officiis, ut fieri assolet.

Quod spectat ad Festum diem, qui unus est ex honoribus publicis Sanctis canonizatis decerni solitis: Duplex est ejusmodi festum: unum in Clero, alterum in populo. Festum in Clero, est illa dies, in quâ à Clero fit Officium & Missa de Sancto, sive de cætero id fiat à toto Clero universaliter, sive ab aliquâ vel ab aliquibus Ecclesiis in particulari. Festum in populo, est illud, quod non rantum, sicut præfertur, celebratur à Clero, sed etiam quod populus tenetur sanctificare, vacando Deo, & abstinendo ab omni opere servili: de utroque sigillatim.

Quantum ad primum, olim varii à variis assignati fuère dies pro celebrando Divi Josephi Officio, ab aliis nonâ Februarii: ab aliis decimâ nonâ Martii: ab aliis decimâ ejusdem mensis; secundum, quod hi & illi, in istum vel in illum diem, mortem ejus incidisse credebant. Ita Ioannes Gerlon in suâ Josephinâ distinct. 12. statim ab initio, ubi sic ille:

Nec tamen est obitus sat certa dies: quare signant

Hanc varii varîè pro religione colendâ:

Est

*Est Februarius, est & Martius, estq;
December.*

*Primi nona dies: cum deno nona se-
cundi:*

*Alterius decima per quosdam & nona
notatur.*

Alii verò 26. Junii, quia Historia Orientalis apud Isidor. Isolanum lib. de S. Joseph. cap. 14. affirmat illum isto die esse mortuum.

XVI. Sed rejectis aliis diebus Ecclesia universalis assignavit 19. Martii juxta usum ab immemorabili tēpore in nostro Ordine observatum: quo etiam die festum hoc ponunt omnes Martyrologi post Adonem Episcopum Viennensem, qui florebat circa annum 880. de quo Cardin. Baronius ad ann. 878. legendus Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus lib. 3. c. 209. ubi ille enarratā breviter pro suo instituto Sancti Josephi vitā, sic concludit. In quodam antiquissimo Calendario, in cujus exordio Rubrica ponebatur (quod ex vetustis Eusebii Cæsariensis exemplaribus sumptum fuerat) scriptum reperi. Festum Joseph Sponsi Dominae nostrae XIV. Kalendas Aprilis: cui ex antiquitate, & exemplaris origine satis fidem adhibui: sane in vetustissimo Martyrologio, quod ex Monasterio S. Maximini Treviris descriptum habemus, iisdem propemodum verbis ad dictum diem habetur memoria, & quidem unice Sancti Joseph Sponsi S. Mariae: quod Martyrologium cum sit ejusmodi, ut abbreviatum videtur ex aliquo Hieronymiano Martyrologio, (quod sæpe sub Eusebii nomine citari etiam solet) exemplari penè inducimur in suspicionem, quod Joseph ille qui in aliis omnibus vetustissimis exemplaribus, & in multis quidem solus nominatur ad XIII. Kalend. April. Noster hic Sanctissimus Patriarcha sit, qui in Antiochenā Ecclesiā (nam in Antiochiā habent tam Maximianum prædictum ad XIV. Kalend. quem cætera omnia ad XIII.) cultum habuerit antiquissimum: quique variantibus per Amanuensium socordiam exemplaribus, primum inter duos dies vagus, deinde etiam utrique dici adscriptus fuerit, atque ita in duas personas distractus, eò facilius quò Codices

qui ad XIV. diem S. Josephum exhibebant hanc ferè formulā uterentur: in Bethleem Sancti Joseph nutritoris Domini. Ita præcipuè vetustatis, & ante annos ferè octingentos exarata Martyrum Sanctorum Richenoviense prope Constantiam: Patricianum Neapoli apud PP. Theatinos, inter Caraccioli Schedas asservatum: Cardinalis Barbari fragmentum insertum Codici 1852. Fuldense Reginae Succiae: item Trevircense Sancti Martini, & aliud S. Mariae ad gradus, inferioris aliquantum ætatis: quibus accedit Ecclesiae Aquilegensis Kalendarium, quod in Vallicellana Bibliot. Romæ transcriptū extat tam vetus, ut minimè nobis putaverimus negligendum. Ex quibus patet quā meritò Ecclesia dimissis aliis diebus hunc pro celebrando Divi Josephi Festo cæteris prætulit.

Quares ob quam rationem hic dies assignatus sit pro Festo Sancti Josephi? Respondet Antonius Balinghem in Calendario Sanctissimæ Virginis Mariae ad 19. Martii, idè Festum D. Josephi hoc die in Ecclesiā celebrari, quod verisimile sit hoc die istud contigisse, quod de eo dicitur in antiquo ejus Officio parvo ad Completorium.

*Felix quem in Vlnis IESVS cum Mariā
Tenuit cubantem dum in agoniā
Spiritus efflaret, ut directa viā
Tenderet ad Patres sanctus vitā piā.*

Alii verò dicunt hoc non esse satis firmum, cum nec tempus nec dies sciri queat quo mortuus est: quare volunt hunc diem Festo ejus celebrando assignatum, quod illo vel alio non longè ab illo B. Virginem duxerit in matrimonium, & ratio illorum est, quia cum istud matrimonium, saltem ex parte Dei, fuerit ordinatum à Deo, ad protegendum Virginis honorem, & occultandum dæmoni Divina dispensationis consilium, non videtur fuisse necessarium longius ante Virginis imprægnationem (quæ contigit 25. Martii Annuntiationi Sacra) illius cum Divo Josepho desponsationem retrahere: ab hoc verò die potius peti motivum celebrandi ejus Festum, eo quod ab hac cum Virgine desponsatione petatur omnis ejus magnitudo, ob quam ipse festum celebratur: sed standum est

Y y

præce-

præcedenti sententia propter ea quæ diximus supra part. 2. tract. 1. c. 15. sect. 4.

XIX. Notandum tamen quod Græci non hoc die, sed 26. Decembris solebant facere Cômémorationem illius: Nam 25. Decembris tota impenditur in celebrandâ Christi Domini nostri Nativitate, quemadmodum & apud nos: ita ut illo die tota eorum devotio ferretur in Christum nascentem, sequenti verò die idest 26. in Matrem qui d. vinum illum fructum nobis protulit, addita eodemmet die Cômémoratione Sancti Iosephi, ut constat ex eorum Menologio, idque ita ab iis factum suspicor, quod etsi Generatio Christi tunc nascentis non fuerit à Divo Iosepho eff. tivè, illam tamen ipsius esse, & ad ipsum spectare censuerunt: quia nimirum per Spiritum Sanctum nomine eius posita est: Quo fit, ut cum non tantum jus in fructum istum, sed etiam ipsa eius productio nomine ipsius facta ad ipsum spectet, junxerint Græci Matri (quam hoc die colunt) Iosephum ejus individuum Sponsum, quod scilicet ille qui pridie natus est, utriusque sit Filius & verè, licet alio modo hujus, & alio illius.

XX. Sed hic non sterit Ecclesiæ Devotio, cujus flammæ succendit Seraphica Theresia, ita enim in illius amores exardescere ceperunt cuncti Fideles, ut ab eis non multò post ultè hie dies non sanctificari tantum, sed & speciali quodam pietatis studio coli ac venerari cœperit, ut observavit Matthias Navæus in Encom. Divi Iosephi orat. 1. ad finem. Tantum abest verò ut hoc propter multitudinem aliorum festorum quâ populus gravabatur impeditum sit, quin potius è contra Sacra Congregatio Rituum Decretum suum de octavâ Maii 1621. addidit quod Gregorius Papa XV. qui Sanctam Theresiam duobus circiter mensibus ante canonizaverat (sine dubio ad gloriæ ipsius complementum) approbavit. Vide Bullarium magnum Cherubini tomo 3. in Proëmio quod ponitur ante constitut. 24. ejusdem Pontificis.

XXI. Tandem Urbanus Papa ejus nominis VIII. in eodem Bullario tomo 4. Constitut. 164. quæ est pro observatione festorum in populo, & incipit *Vni-*

versa per orbem novis Ecclesiis, Data Romæ apud Sanctum Petrum Incarnationis Dominicæ anno 1642. Idibus Septembris inter dies festos à populo solemnizandos ponit festum Sancti Iosephi Deiparæ Sponsi.

Præter hoc festum celebratur etiam XXII. in Galliâ 22. Januarii, & in aliis Ecclesiis, ut Atrebatensi 23. ejusdem mensis Festum Desponsationis ejus cum Beatâ Virgine Deiparâ: Ita Antonius Balinghem in Calendario Sanctissimæ Virginis Mariæ ad 22. Januarii, qui addit videri Paulum Papam III. anno 1546. ad postulationem Petri Aurati permisisse celebrari in Galliâ cum officio ab eodem Petro sibi porrecto.

Sed hic error est: Constat enim festum hoc Desponsationis Sancti Iosephi in Ecclesiis Galliarum esse antiquius Paulo III. & receptum in illis plus centum annis ante: patet ex Joanne Gersono qui illius Author esse dicitur & Promotor, connivente sine dubio Ecclesiâ in Concilio Constantensi, ubi pro eoperoravit octavâ Septembris anni 1416. quandoquidem ipse Parte 4. Operum suorum pro eo introducendo epist. ad D. Parvi Carnotensis Ecclesiæ Cantorem scribat ex Urbe Constantiæ; ubi erat in Concilio, septimâ Septembris anni 1416. Vide iterum eundem Gersonem parte 3. Oper. Serm. de Nativit. Beatæ Virg. circa finem, & part. 4. epist. quæ incipit: *Ecclesiis universis, præsertim de dicatis Beatissime & Gloriosissima Virgini Mariæ*, scriptâ Parisiis anno Domini 1413. 17. Augusti. Denique in Exhortat. ad Ducem Bituricentem in eundem finem anno Domini 1413. in Festo Sancti Clementis Papæ; de quo festo intelligendus Jacobus Perez de Valentia in Cantic. *Magnificat*, à nobis supracitatus, ubi ante annum 1500. scribens, ait in pluribus Ecclesiis Galliarum celebrari Festum Sancti Iosephi.

Aliud præterea fiebat Officium antiquitùs præter illa duo in Succia, in memoriam laborum, quos pro Salvatore in ejus infantia pertulit Divus Iosephus: quod officium incipit ab Ecclesiâ Lyncopensi, occasione

sione alicujus revelationis factæ per Beatam Virginem cuidam Venerabili Marronæ in eum finem: quod Officium fiebat immediatè post octavam Epiphaniæ, hoc est decimâ quintâ Januarii, quo tempore in Ecclesiâ recoluntur mysteria Infantia Salvatoris: Ita ex vetusto Codice manuscripto nostræ Bibliothecæ Leodiensis qui sequitur post Mariale Jacobi de Voragine Archiepiscopi Januensis, qui Codex etiam continet Sermonem Joannis Gerson de Nativit. Beatæ Virginis habitum in Concilio Constantiensi, ex quo suspicor dictum Codicem manuscriptum esse antiquiorem typis non in usu in his partibus ante annum 1452. vel saltem ante annum 1441. ad quas dicuntur (nescio an verè) ex Indiâ circa illud tempus adducti. Vide Genebrardum in Eugenio IV.

XXV. Tandem Festum Educationis Jesu & Mariæ à Divo Josepho ex Ægypto, & Reditus in terram Israel, olim à Benedictinis celebratum fuisse undecimâ Januarii colligit Schultingius in suâ Bibliothecâ Ecclesiasticâ ex manuscripto Missali Anglicano antiquissimo istius Ordinis, quem tamen Reditum Martyrologium Adonis & Venerabilis Bedæ tomo 3. Operum suorum referunt in septimam ejusdem mensis.

XXVI. Spero denique futurum ut Deus inspiret Antistitem Antistitem Romanum Pontificem Ecclesiæ Catholicæ visibile Caput, ut secundum Festum illi pro totâ Ecclesiâ Catholicâ decernat in memoriam felicissimæ ejus cum Deiparâ Desponsationis, cum ab hâc omnis ejus magnitudo, quam tam multis profecuti sumus petatur cum que in assignando die huic Festo habiturum rationem eorum que diximus supra Parte 2. Tractatu 1. cap. 15. sect. 4. de tempore in quo ea Desponsatio probabilissimè contigisse videtur.

SECTIO II.

De statu presentis Cultus Divi Josephi ut est privatus & particularis.

EX hoc maximè Capite consideranda est & petenda Divi Josephi devotio, nam etsi quidam sint Sancti, qui in cultu publico & solemniori adhuc eum in aliquibus præcedere videntur, tamen quia à cultu privato fit gradus ad publicum & solemniorem, & hic privatus Divi Josephi, ita sensim in dies crescit, ut ex nunc omnes omnino alios solâ Deiparâ demptâ superet: Spes mihi magna suboritur aliquando futurum ut Ecclesiâ, hâc singulari omnium populorum, nationum, conditionum, erga Divum Josephum devotione (que ab dubio ex Deo est) permota, additura sit ad pompam solemnioris ejus aliquid, quo ut in cultu particulari alios nunc antecellit, ita in publico & solemniori nulli cedat.

Excellentia porrò alicujus devotionis, seu cultus unius Sancti, ut est particularis & privatus, attenditur penes tria: Primò, penes subjectum ipsius devotionis: Secundò, penes materiam ejus: Tertio, penes modum: in primo attenditur numerus & qualitas personatum in quibus est devotio erga illum Sanctum: In secundo attenditur quid illi faciant ex motivo istius devotionis, & ad honorandum illum Sanctum: In tertio attenditur affectus, zelus, teneritudo, fiducia, &c. quâ in illum feruntur: In his omnibus primas inter omnes Sanctos tenet Divus Josephus.

Nam primò quis hodie illorum ita communiter & frequenter ab omnibus piis & Catholicis colitur & invocatur ut ille? Ceteri quidem, præcipuè insigniores, ab omnibus & singulis in eorum festis & solemnitatibus honorantur: sed extra illas, hic ab istis, ille ab illis, secundum ejusque particularem devotionem & instinctum, nullus ab omnibus: sed quoad D. Josephum, vix ullum hodie reperies verè Catholicum, idest piium, quinon eum inter Patronos

Y y z

Patronos

Synopsis

Magnalium
D.
Iosephi
S. S.

Patronos, & è primariis quidem post Beatam Virginem habeat, qui non ipsum ore & corde singulis diebus, aut saltem frequenter invocet, qui non se ejus patrocinio commendet: Nullam ferè fidelium domum ingressurus sis in quâ non inuenias aliquam illius imaginem: adeò ut postquam toto terrarum orbe ei ab Ecclesiâ ex cultu publico ædificata sunt singulis in locis Cœnobîa, dicata Tempia, consecrata Altaria, erecta solemnè statua: ita à particularibus ex affectu & cultu privato singula ferè domus conversæ sint in Orotoria Jesu, Mariæ, & Iosephi.

XXX.

Quemadmodum verò ex communi sensu Doctorum inter cætera quæ nobis magis manifestant, quantum Sanctissima Virgo Deipara digna sit ut ab omnibus speciali ac præcipuâ devotione honoretur & colatur, non ultimum tenet locum provisio illa Dei, quâ factum ut personas magni nominis & altioris meriti seligeret ad cultum istum, & honorem ei procurandum: ita eodem modo nihil omninò est ex quo melius specialem cultum, qui Divo debetur Iosepho, ejusdem Sanctissimæ Virginis Sponso intemerato, arguere possimus, quam electio carum personarum, quas in hoc destinavit Deus, ut & ei cultum adhiberent, & adhibere propagarent: tum magnificis suis exemplis, tum autoritate illâ quâ cæteris præstabant. Quod cum ita sit consequenter dico, quod magnitudo cultus Divi Iosephi, ut est privatus, non in eo solum sita sit, quod plures habeat Cultores in particulari quàm alii, sed insuper illud addendum, quod qui insigniores olim fuerunt & modò sunt, ei inter cæteros semper maximè devoti extiterint, quod hic probatum imus.

XXXI.

Ac primò quidem ut à principio nascentis Ecclesiæ sem exordiar, etsi tunc non fuerit pro meritis publicè ac promiscuè veneratus in Ecclesiâ ob rationes Deo cognitatas, quibus addidimus aliquas conjecturas nostras hæc Parte Tractatu 1. cap. 1. Cum tamen fuerit semper summo honore dignus, ob summam ipsius dignitatem, verissimam dico ipsius, respectu Christi Domini Paternitatem. Quis dubitat illam

tunc fuisse aliquibus insignioribus & sanctioribus, hoc est Sanctis Apostolis, aliisque Apostolicis Viris cognitatas? Unde cõsecrarium videtur quod etiam fuerit ab illis secundum istam cognitionem veneratus.

Confirmatur primò ex Evangelistis XXXII. maximè Lucâ, qui Evangelium suum (ut ipse in illius ait initio) compilavit ex his quæ tradiderunt illi qui ab initio viderunt ipsi, & ministri fuerunt sermonis: cum enim ex his quæ ab ipsis tradita acceperunt Evangelistæ, maximè Lucas, nos licet ad illarum aquilarum comparationem vilissimæ tantum noctuæ, Paternitatem tamen ejus tam sublimem cognoverimus, virtutes & merita quæ ad illam dignitatem sequuntur ita perceperimus ut supra, & ex hæc cognitione ad illius venerationem inducamur: Quid amabo de illis cogitabimus, à quibus nos & hanc & illam hausimus & accepimus?

Confirmatur secundò, ex Genes. XXXIII. cap. 37. ubi de Ioseph antiquo, qui hujus figura fuit, ut toties diximus, dicitur, quod viderit per somnium Solem, Lunam, & Stellas adorare se, hoc est Patrem, Matrem, & fratres suos. At hi nimis improprie Sol, Luna & Stellæ: Ergo hoc proprie in illum quem ipse figurabat, Divo scilicet Iosepho, implendum intelligi debet: verè enim Sol Justitiæ Christus, verè Luna Maria, verè Stellæ Apostoli Sancti in ordine gratiæ: Cum ergo hi à Sole & Lunâ Jesu & Maria Iosephum tantoperè honoratum probè scirent, quomodo eum ipsi non magnificere, colere, & honorare potuissent?

Ab Apostolis & Apostolicis viris ad XXXIII. antiquiores Ecclesiæ Patres si descendimus, nonne & in illis eundem, quem in istis, erga illum affectum deprehendimus? Quam sublimiter de eo scriberunt & scripserunt S. Justinus Martyr cognomento Philosophus Apostolorum temporibus vicinissimus? S. Ephrem Syrus, Africanus, Origenes, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianz. Basilius Magnus, Athanasius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Joannes XLIV. Patriarcha Jerusalemitanus vulgò Imperfectus in Matthæum

Matthæum & alibi, Cyrillus Alexandrinus, Joannes Damascenus, Eusebius, Emisenus, Iræneus, Chrysologus, Paschasius, Beda, Rupertus, Theophilactus, Haymo, Euthymius, Bernardus? quorum alii paternitatem ejus explicarunt, alii mirandas ejus virtutes collaudarunt, alii paternitatem ejus virtutem & energiam extulerunt? Quanti eum æstimarunt illi, qui tam sublimiter de eo lenserunt & scripserunt? Quomodo illi potuissent non ei affici impensè, cum nos licet frigidissimi ex eorum dictis adeo accendamus, & in ejus amores exardescamus?

XXXV. Sed ut ad tempora nostris viciniore accedamus qualis Sanctus Thomas Aquinas Doctor Angelicus & Theologorum vertex summus? quid verò ille de Sancto Josepho? ex Carthagenâ Tom. 4 qui est de Sacr. Arcan. Deip. & Joseph. lib. 18. hom. 14. ante med. & Jacobo Marcantio in vit. flor. lect. de S. Joseph. ita sentit & ait in quart. sentent. dist. 45. quæst. 3. art. 2. ad secundum. *Quibusdam Sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipuè patrocinari, sicut Sancto Antonio ad ignem, &c. At Sanctissimo Josepho in omni necessitate & negotio concessum est opitulari, & omnes ad se piè confugiens defendere, fovere, & paternò affectu proflequi.* Hæc ex Carthagenâ, Jacobo Marcantio, & aliis S. Thomas Aquinas: an non hic ei devotus?

XXXVI. Post hos quid Sanctum Hermanum Candidi Ordinis Præmonstratensis referam, cui cœlitus & Sponsa Josephi, & nomen Josephi donatum? quid Divam Gertrudem Germanam quæ vidit in spiritu ut supra diximus omnes Cœlites in præsentia Christi & Mariæ Divo Josepho acclinari? Quid Sanctam Brigittam cui à Deo, ut præcedenti, serîo mandatam, ut Divi Josephi devotionem excoleret? Quid denique S. Vincentium Ferrerium? quid Sanctum Bernardinum Senensem? Sanctam Matrem Tereciam? S. Petrum de Alcantara? B. Joannem à Cruce? S. Franciscum de Sales? quid Joannem Gersonem? Jacobum Perez de Valentia, Franciscum Suarez quem Eminentissimus Cardinalis Bona vocat primæ notæ Theologum? quid Joan-

nem Carthagenæ? quid infinitos alios?

Non possum tamen quin adhuc XXXVII. duos non valdè notos atexam Illustres Divi Josephi amatores & zelatores, primùm ex Reverendi Domini *Archi* Historiâ Ordinis Minimor. S. Francisci de Paulâ, Beatorum *Gasparum Bon*, cui post Jesum & Mariam nihil magis cordi quam Sanctissimus Joseph: quapropter ut frequentissimè Jesum, Mariam & Joseph corde versabat, sic etiam illorum sanctissima nomina sapissimè habebat in ore: si alicui locuturus erat, prius Jesus, Maria, Joseph in ejus ore ex corde resonabat, si respondendum erat, pariter eadem dulcissima nomina repetebat; verbo uno eadem semper ad singula ingeminabat. Quare ut cum istâ devotione semper vixit, sic in eâ mori peroptavit, & ut peroptavit, ita contigit: nam cum læthali morbo decumberet, infirmarios suos rogavit, ut cum ad mortem viderent vergentem, nihil aliud ei inelamarent nisi Jesus, Maria, Joseph: sciebat enim verum esse, quod non ineleganter quispiam,

*Hæc tria nomina,
Bona sunt omina,
Et Mundi lumina,
Et cœli lumina.*

Quod autem tam piè postulaverat, hoc ei à Deo concessum, nam in ultimis singulis hæc verba distinctè protulit, Bone Jesu miserere mei, Jesus, Maria, Joseph, quibus dictis expiravit. Facias ô summe & misericors Deus: ut mihi contingat similiter expirare.

Post istum Beatum produco XXXVIII. Margaretam de Castro ex Ordine S. Dominici, de quâ Antonius de Pennâ in ejus vitâ refert, quod cum hæc sapissimè durante vitâ in has voces, *O si sciretis vos quæ ego in corde meo gesso, & retineo*: et impere audita fuisset, incessit ab ipsius morte sorores, memores horum verborum toties ab eâ repetitorum, Deo etiam inspirante, sancta cupido petirâ Chirurghi manu peccus illius aperiendi, & cor ipsum scrutandi: ut cogitatum ita factum; aperit peccus Chirurgus, cor scrutatur, nec sine stupore amabili in eo reperta tres gemmæ prægrandes & miri splendoris, quales nec antiquus unquam orbis

tulit, nec novus. Neque hæc imaginaria tantum, sed reales, cum eas etiam num servari in templo Dominicanorum scribat Antonius Balinghem loco citato, in quarum primâ viscebatur imago expressa Virginis longe pulcherrimæ, cinctæ caput aureo diademate: in secundâ infantulus specie supra modum decorus in medio duorum animalium: in tertiâ verò Vir formâ spectabilis, ac majestate verendus, aureâ chlamyde indutus, ad cujus pedes erat strata Virgo in habitu Sancti Dominici. Et hæc cordi illius expressæ erant imagines, non aliâ manu, quam Dei: ex quibus prima, utique Deiparam, secunda, Infantulum IESUM, tertia denique Divum Iosephum referebat, quos pimirum dum viveret in corde habuerat, hoc est in amoribus: hujus quoque cœlestis prodigii meminere, Petrus Morales in Matthæum cap. 1. lib. 1. tit. 1. num. 23. Antonius Balinghem in Calendario Sanctissimæ Virginis Mariæ ad 13. Aprilis, & Henticus Engelgrave in Cœlo novo Part. 1. in Festo Sancti Iosephi §. 3.

XXXIX.

Possem & alia multa similia adjicere, sed sufficiat audire Divum Bernardinum Senensem laudum Divi Iosephi Preconem zelantissimum, à ducentis & quadraginta circiter annis dicentem, *Scissum est velum templi, (sub quo nimirum olim Divus tegebatur Iosephus,) à Summo usque deorsum, & per fidem Christi Sacrosancta Mysteria orbi universo pervenerunt, & in hoc cœlorum Regno, idest Ecclesiâ, apertum est Dei Templum, & facta sunt fulgura & voces concionatorum, sequuta sunt voces Doctorum, quæ de tantò & Sanctissimo Iosepho tonuerunt, & scriptis celebrarunt.* Sufficiat dixisse à temporibus Sanctissimæ nostræ Theresiæ impletum quod à 150. annis circiter quasi prophetico spiritu Isidorus Isolanus 3. part. cap. 6. *Aperiet Dominus aures precordiorum intellectus, & Viri magni scrutabuntur interiora Dei dona abscondita in Sancto Iosepho, & invenient thesaurum, &c.* Nam ab inde non solum omnes Ordines Religiosi quotquot sunt in Ecclesiâ Dei, cœperunt in communi ei vehementer affici, eum speciali cultu prosequi, ejusque patrocinium ambire,

sed tot fuere Alvearia ex quibus quot Viri doctrinâ & pietate eximii, tot fuere laudum Divi Iosephi Precones, & cultus ejus toto orbe Propagatores strenui: neque hi soli, sed & Pontifices Summi, Cardinales & Episcopi, alii, quæ omnis conditionis Clerici & Catholici, ejusdem Seraphicæ Matris & suorum zelo & exemplo accensi: quorum omnium cum numerus sit sine numero, quid mirum quod devotio illius in immensum excreverit, eoque progressus fecerit, quales nulla alia, si solam Deiparam excipias.

Quantum ad secundum: Quid scilicet faciant hodie fideles ex motivo istius devotionis ad honorandum Divum Iosephum: in hoc quis etiam ei similis? nam si de precibus est sermo, præter illa servitia quæ in hoc genere ei cum aliis Sanctis sunt communia (in quibus tamen adhuc illos excedit) communicat insuper in multis, quæ videntur Beatissimæ Virgini sponse suæ singularia. Colitur enim etiam Officio parvulo, ut illa, in septenas horas ad normam Canonici distributo, quod ei dietim à suis clientibus & devotis, ab aliis semel septimanatim recitatur: colitur Litanis, ut illa, continuâ Encomiorum ejus serie contextis: Colitur etiam Rosario, de quibus omnibus alibi: quæ omnia nulli post Beatissimam Sponsam & Conjugem suam nisi ipsi competere dignoscuntur.

Licet verò priora duo aliquibus aliis accommodata inveniuntur, quam quæso hoc paucis! & qualis quoad illorum frequentationem inter hos & illum differentia? quare nec ista ulli competunt, ut illi: sin verò de aliis loquendum, quis ea per ordinem attere valeat? Quis Missas, Communiones, Jejunia, Mortificationes, Eleemosynas, Foundationes, Vota, Donaria, Statuas? præterea enim Cœnobita, Ordines, Congregationes integras, Xenodochia, Tempa, Altaria, &c. quæ licet à particularibus erigantur, spectant tamen, & ea superius reduximus ad cultum publicum: Quis numerum illorum ineat qui ejus modestiam, qui in adversis constantiam & tranquillitatem, qui in desperatissimis spem erectam

erectam qui in arduis obedientiam, & mentis ad divinam voluntatem conformitatem, qui altissimam spiritus paupertatem, qui sublimem rerum omnium caducarum contemptum, aliasque ejus virtutes admirandas, in quibus summè emicuit, sibi proponunt imitandas, & imitantur de facto, hic unam, iste alteram pro modulo suo: sed quàm rara virtus, quàm admiranda etiam Superis inter conjuges benè consentientes continentia? & tamen quàm multi illius & Conjugis suæ exemplo eam servarunt à nobis supra relati, & alii soli Deo cogniti, quàm multi etiamnum servant, alii perpetuam, temporariam alii, & ex his alii breviorē, virtuosam tamen & meritoriam, alii diuturniorē.

XLII. Addamus ad hæc omnia & zelum tot eximiorum Virorum omnis conditionis, status, & dignitatis; qui omnes eloquentiæ ac doctrinæ suæ vires intenderunt, ut gloriam ejus in gentes proveherent: & pro quo tam animosè? tam accuratè? tam frequenter, tam felicitè? Quodque magis mirè, necdum piis illorum votis satisfactum, nec dum immentum illud quod hodie cernitur eis sufficit, crescit in dies illorum & omnium in eum zelus, affectus, amor, ardor, ut ex hoc manifestissimum fiat tertium quod restabat probandum, statum scilicet præsentem hujus Devotionis in particulari, talem esse, quæ uti omnes alias: Primò in numero & qualitate subjectorum: secundò, in materiâ ipsius devotionis superat, ita & in modo: quandoquidem zelus & affectus quo à fidelibus cunctis nunc colitur, non tantum superet nunc omnes, sed etiam in dies semper crescat, & majora semper incrementa capiat.

CAPUT VIII.

De modo illum colendi.

NOTANDUM primò tot esse species honoris & cultus, quot sunt species excellentiæ, ut docent Theologi 2.

2. ad quæstionem 103. Honor enim, sive cultus debetur personæ eique defertur propter ipsius excellentiam: Cùm ergo tres sint omnino species excellentiæ in genere, totidem erunt & species cultus seu venerationis.

Prima species excellentiæ, est excellentia infinita & divina quæ est ex summis, infinitis & divinis perfectionibus, & attributis, cui respondet prima species cultus, scilicet summus, & dicitur à Theologis nostris cultus patriæ, qui soli Deo debitus, ita ut si alteri præterquam ipsi redderetur, injuria fieret Deo omnium atrocissima.

Secunda species excellentiæ, est excellentia infima, humana, & civilis, quæ est ex perfectionibus merè humanis & naturalibus, ut dignitate, nobilitate, scientiâ, gradibus, & officiis; cui respondet secunda species cultus & honoris, qui potest dici humanus, civilis & politicus; quem in plures alias subdividit Aristoteles 9. Ethicor. cap. 2. Nam alius est honor qui debetur Regi; alius qui Principibus; alius qui Nobili; alius qui Patri; & alius qui alteri Viro gravi & honesto; alius qui Præceptori; & alius qui alteri Viro erudito.

Tertia species excellentiæ, est excellentia quadam media inter illas duas, qualis est excellentia ex gratiâ & gloriâ, donisque divinis, quæ Sanctis competit: Gratia enim & gloria sunt dona supernaturalia & excellentissima, ac in alio prorsus ordine quàm sint humana & naturalia quantumvis magna & rara: & huic excellentiæ respondet tertia species cultus, quæ à Scholasticis vocatur Dulia.

Et quia ex Evangelio alia terra fert fructum centesimum, alia sexagesimum, alia trigessimum, quod significat

I.

II.

III.

IV.

V.

ficat differentiam excellentiæ & meritorum, idè alia est & alia hujus & illius in hoc ordine excellentia: *Sicut enim stella differt à stella in claritate, ita & resurrectio mortuorum.* 1. Corinth. cap. 15. vers. 41. Hincque etiam à Theologis conceditur communiter Aureola una Martyribus, una Virginibus, una Doctoribus qui ad justitiam erudiunt multos, quæ non conceduntur aliis: quare etiam alius est cultus, alia Dulia quæ debetur ei qui centesimo fructu abundat, alia ei qui sexagesimo, alia ei qui trigesimo, sive tandem differant illæ duliae penes speciem, sive penes gradum tantum.

VI. Ex quo illud imprimis statuendum pro totâ hæc materiâ, modum colendi Divum Josephum esse, ut colatur super omnes Sanctos quantumvis sint magni post Beatissimam Deiparam Sponsam suam: Ratio est, quia ipsius excellentia, ut tam multis probatum est, est super omnes post Beatissimam Virginem, ergo colendus est super omnes illos post ipsam: In id etiam incumbunt hodie quotquot sunt magni nominis Viri, Concionatores eximii, Scriptores præclari, ut primas teneat in cordibus omnium fidelium, qui primatum tenent in culmine meritorum.

VII. Notandum secundò Sanctos post Deum à nobis tripliciter honorari: Primò, corde: Secundò, ore: Tertio, opere. Veneratio cordis, dicitur cultus seu religio: Oris, dicitur laus: Operis, dicitur honor seu adoratio. Ita noster Joannes Beet in Decalog. primo præcept. exposit. 2. cap. 6. paulò post medium, qui Doctor fuit è primis Discipulis Patris Magistri Godofridi de Loë ex Ordine nostro unius è tribus qui fundamenta Academiæ Lovaniensis jecerunt, de quo hæc Nicolaus Vernuleus in Descript. Academ. Lovanien. lib. 2. cap. 1. Et venerunt Coloniâ Joannes Winninghen Prædicator, Heymericus de Campo Sæcræ Theologiæ Doctor, & Godofridus Loë Carmelita, indè evocati Lovanium auctoritate Summi Pontificis, & Philippi Boni Burgundiæ & Brabantia Ducis, ut Theologicum

studium ibi inchoarent, &c.

Non quod hæc Venerationes ita ab invicem distinguantur, ut omnes se invicem excludant. Certum enim est venerationem oris & operis ita requirere conjunctionem illius quæ est cordis, ut si hæc non adsit, illæ non sint cultus, sed tantum vanum illius simulachrum, ut notat Bellarminus tomo 1. controvers. 7. General. de Eccles. Triumph. de Sanct. Beatitud. lib. 1. cap. 12. num. 1. Et ratio est evidens, quia ut peccata oris & operis, initium sumunt à corde, non tantum physicè ut sunt actus vitales, sed etiam moraliter ut sunt peccata, juxta illud Christi Domini Matth. cap. 15. *De corde exeunt cogitationes, homicidia, furta, falsa testimonia, blasphemia:* Ita & veneratio oris & operis, & quælibet aliæ actiones bonæ ob paritatem rationis: quare cum venerationis oris & operis principium, vita, & totalis forma, sit veneratio cordis, hæc deficiente, quid illæ nisi cadaver, aut vanum venerationis simulachrum?

Ergo illi tres modi Cultus & Venerationis ex hoc inter se distinguntur, quod primus præcisè consummatur in corde: Secundus in ore: Tertius in opere: ita communiter omnes Theologi: De his tribus hic quantum spectant ad D. Josephum & nostrum intentum.

SECTIO PRIMA.

Quomodo Divus Josephus corde colendus?

NOTandum tres illas cultus species de quibus in præsentî Capite, notando primò, quantum spectat actus interiores sic distingui inter se quod prima species, idest Latria, est quædam summa voluntatis seu cordis prostratio ante Deum ex apprehensione superexcellentiæ ejus ut primi principii à nullo dependentis, & à quo omnia dependent, & ultimi finis nostri, atque adeò Summi Boni nostri, qualis prostratio soli Deo competit.

Secunda

XI. Secunda species, idest cultus seu honor civilis est longè minor inclinatio voluntatis ex apprehensione certæ cujusdam excellentiæ, sed humanæ valdeque circumscriptæ & limitatæ.

XII. Tertia species est media quædam inclinatio voluntatis, major secundâ, sed primâ quàm maximè minor ex apprehensione excellentiæ mediæ inter hanc & illam, idest minoris infinite quam sic divina, sed tamen incomparabiliter majoris quam sit purè humana.

XIII. Ex his duo adverto, ex quibus tertium infero. Adverto primò, ad cultum interiorem duos actus requiri, unum præsuppositivè & quasi materialiter, scilicet actum intellectus, quo excellentia vel divina, vel humana, vel mediâ inter utramque, apprehenditur: Alterum formaliter, scilicet actum voluntatis, quo ipsa se vel Deo, vel Sancto, vel homini mero in protectionem & recognitionem excellentiæ eorum, & suæ subjectionis inclinatur & prosternit.

XIV. Adverto secundò, quod quò excellentia est major specificè, eo cultus, præsuppositâ illius cognitione, est nobilior & perfectior specificè. Ex quibus infero pro tertio à pari quod quò excellentia est intensior in eadem specie, eò etiam cultus interior, si illa excellentia cum suâ intensione cognoscatur, erit intra eandem speciem major. Quare cum Divi Josephi excellentia in genere mediarum, idest illarum quæ majores sunt quam humanæ, & minores quam divina, omnes omninò superet demptâ unâ solâ, quæ est Virginis Deiparæ, & illa jam ex dictis & nulli ignotis perspecta sit, consequens est ut omnis voluntas humana ei magis quàm ulli alteri curvari debeat: & hic est primus modus quo colitur Divus Josephus à suis clientibus, & quo ab omnibus coli debet per actus interiores.

XV. Secundus modus eum colendi corde est per complacentiam & gaudium de ejus supereminenti gratiâ & gloriâ, jubilatio & gratiarum actio Deo in interiori corde, quod eum ad istam summam & incomparabilem sublimaverit excellentiam.

Tertius modus eum colendi corde consistit in desideriis & affectibus incensis eum quem Deus ita gloriosum reddidit, etiam quantum in nobis erit glorificandi & honorandi: insuper & efficiendi ac procurandi ut ab aliis eodem modo honoretur, idest super omnes post Virginem Deiparam conjugem suam.

XVII. Quartus modus est adlectio illius inter omnes Sanctos in singularem Patronum & Advocatum nostrum apud Dominum Deum; quæ sit hodie à pluribus ad eum modum, quo Beatissima Virgo ejus Sponsa eligitur ab iis qui nomen dant alicui ejus Confraternitati, vel Sodalitio in ejus ingressu: vel etiam sub hâc aut aliâ simili formulâ. *Sancte Joseph Pater Domini mei IESV & Sanctissime Matris ejus Sponsæ virginæ. Ego N. te hodie in Patronum meum singularem & Advocatum apud Deum eligo: obsecro te igitur ô Patronorum meorum dilectissime: suscipe me hodie in clientem & servum tuum perpetuum, adsis mihi in omnibus necessitatibus meis, & ne me deseras in horâ mortis meæ Amen.* Quæ oratio cum sit brevis, poterit non tantum in initio adlectionis, sed etiam singulis annis in die Festi ipsius, immò singulis mensibus, quin & singulis septimanis, quidni & diebus in eorum principio, utiliter & cum fructu usurpari & repeti.

XVIII. Quintus modus consistit in votis illis omnis generis, & in omni materiâ, quibus ex divino instinctu ejus clientes & devoti in dies se ei adstringunt, quoties agitur de re quâcumque per ipsum à Deo obtinendâ.

SECTIO II.

Quomodo Divus Josephus ore colendus?

XIX. Quemadmodum præcedenti Sectione, in cultu seu veneratione interiori Deo & Sanctis ejus proprio, diversitatem offendimus & ostendimus, sic & in hoc cultu oris, differentiam invenio: nam Deum oramus in hâc formulâ vel aliâ ejusdem census. *Sancte Deus, sancte fortis, sancte & immortalis,*

Z z z

mortalis, miserere nobis. Sanctos verò sub hâc vel simili: *Sancta Maria, Ora pro nobis: Sancte Ioseph, Ora pro nobis:* Nec quisquam fidelium auditus est aliter unquam orasse: quis namque auditus est unquam dixisse, *Sancte Deus, Ora pro nobis?*

XX. Licet verò aliquando Sanctis dicamus *Sancta Maria, Sancte Ioseph, Sancte Michael, Sancte Joannes Baptista, Sancte Petre, &c.* Miserere mei salva me, aperi mihi aditum cœli, fac ut à peccatis resurgam, da mihi patientiam, fortitudinem, corporis sanitatem, &c. ejusmodi: hoc non ita dicimus, quod Sanctos existimemus istorum beneficiorum primarios fontes & independentes Authores: hæc enim beneficia superant omnes vires naturæ creatæ: sed harum & aliarum similis formæ precum hic est sensus, *Sancta Maria, Sancte Ioseph miserere mei, habe compassionem miseriarum mearum, salva me, &c.* orando pro me, & obtinendo mihi à Deo precibus tuis gratiam quâ salver, à peccatis resurgam, &c.

XXI. Neque hoc valdè difficilè intellectu, cum eodem sensu Apostolus ad Roman. cap. II. vers. 13. & 14. dicat: *Quandoquidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo: si quo modo ad emulandum provocem carnem meam, (idest Judæos ex quibus sum secundum carnem) & salvos faciam aliquos ex illis: non ut Deus in virtute suâ erigendo; sed juvando orationibus, precibus, doctrinâ, exhortationibus, exemplis, &c. ut erigantur à Deo.*

XXII. In hoc cultu præter illa, quæ sunt Divo Iosepho cum aliis Sanctis communia, in quibus etiam illos multis parafangis antecedit; habet tria quæ illi cum Beatissimâ Virgine sponsa suâ singularia sunt: Videlicet primò, Officium parvum in septem horas ad normam Ecclesiastici & Canonici distributum. Secundò, Litanias ex ejus privilegiis & prærogativis concinnatas. Tertio, tandem parvum Rosarium: ut in his & litterati, & simplices, quantumvis occupati, habeant pensum diurnum, quod commodè quotidie in in ejus honorem recitare possint, seque

illius clientes testari.

Parvum Officium & Litaniam passim XXIII. inveniuntur in libris piis, nisi in his magis placeant quæ in parvulo libello cui nomen, *La Devotion de sept Mercedys à l'honneur des sept principaux Privileges & Prerogatives de Saint Ioseph,* à me typis Leodii dato anno 1676. ratione erectionis Confraternitatis Sancti Iosephi in Conventu nostro Leodienfi, à Serenissimo Principe Electore Colonienfi, Episcopo & Principe nostro Leodienfi, quam idem Princeps approbat, & approbavit & commendavit per suas datas Coloniz Agrippinæ decimâ Octobris anni 1675.

Quoad Rosarium etiam in eodem XXIV. libello ut supra commendato ejus formulam & explicationem ibidem dedi, quam hic repetere non pigebit, propterea quod maximè perplacuit personis doctis, devotis, & Religiosis, & quia etiam video illud jam sub eâ formâ mysticâ frequentari à plurimis.

Componitur illud ex unâ Cruce & XXV. triginta parvis globulis, qui per alios tres istis majores distinguuntur in tres Decades: in quibus tres globuli majores positi sunt in honorem Trinitatis Increate PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. Simul & Trinitatis create JESU, MARIE, & JOSEPH, quæ in terris cœlestem illam representabat. Tres verò Decades ex ter decem globulis parvis, qui conficiuntur triginta, sunt in memoriam triginta annorum, quibus Divus Iosephus Christo & Mariæ convixit pro iis alendis sudavit, in eorum convictu profecit, & de exemplis ac instructionibus filii sui animam suam edificavit.

Modus illud recitandi hic est: Pri- XXVI. mò, ad Crucem elevatâ mente & directâ ad Deum intentione (ut fieri debet in principio quarumlibet actionum bonarum) eâ Cruce seipsum signat Rosarium recitaturus, pronuntiando devotè, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.* Secundò, ad tres majores globulos dicitur pro Trinitate Increatâ. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Additurque pro Trinitate creatâ. *IESVS, Maria, Ioseph.* Tertio,

Tertiò, ad triginta minores globulos, ex quibus conficiuntur tres Decades, dicitur ad singulos: *Ave Ioseph Fili David, Iusse, Vir Marie, de qua natus est IESVS. Sancte Ioseph, Pater IESV, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostrae. Amen.* Hæc de veneratione Oris.

SECTIO III.

Quomodo Divus Iosephus Opere colendus?

XXVII. **S**acrificium, & ea quæ ad illud referuntur (Templa, Altaria, Sacerdotes) cum sit actus latriæ soli Deo debitæ primus & summus, ei etiam soli debetur, ut constat primò ex Scripturâ Exodi cap. 22. *Qui sacrificat Diis eradicabitur præterquam Domino soli.* Secundò, ex doctrinâ Sancti Augustini lib. 10. de Civit. Dei cap. 4. & omnibus Patribus. Tertiò, ex praxi Ecclesiæ, non enim Sanctis Sacrificium offerimus, sed soli Deo, licet in commemoratione omnium Sanctorum, qui ei placuerunt ab initio mundi.

XXVIII. Præter hunc autem actum exteriorum in hac cultus latriæ specie, vix ullam in aliis diversitatem reperies, quæ secernere possis, hunc cultum esse Dei, vel istum esse Sancti: Nam incurvamus v. c. & genuflectimus coram Deo & coram Sanctis, immò etiam coram Regibus & Principibus, quemadmodum & Abraham fecit coram Deo Genes. cap. 17. coram Angelis Genes. cap. 18. & coram Populo terræ, ibid.

XXIX. Differentia tamen est inter illos actus exteriores quatenus tendunt in Deum, & quatenus tendunt in Sanctos, puta Deiparam, & Divum Iosephum: sed differentia illa in his, est ex parte actus interioris, à quo proficiscuntur: Nam cæteri actus, excepto Sacrificio, v. c. genuflexiones, incurvationes, cameuniæ, jejunia, elemosynæ, communionès, peregrinationes, ceræ, qui omnes sunt Deo, & Sanctis communes, dicuntur actus latriæ ut tendunt in Deum, quia procedunt ex apprehensione summæ & infinitæ excellentiæ Dei, & ex summâ

voluntatis nostræ in illius conspectu inclinatione: Dicuntur verò actus dulciæ quando procedunt ex apprehensione excellentiæ minoris illâ, majoris tamen quàm sit simpliciter & merè humana.

Quare de hâc veneratione, seu cultu per actus exteriores, in quantum D. spectat Iosephum, vix quidquâ habemus dicendum præter illa quæ de aliis Sanctis in univertum: Cum enim non possit assignari diversitas inter cultum Dei & Sanctorum eius (qui tamen sunt essentialiter & specie distincti) ex parte istorum actuum exteriorum, & secundum se consideratorum, dempto (ut dictum est) Sacrificio, quantum minus poterit assignari inter cultum Sancti & Sancti, qui sunt in eadem specie.

Quia tamen & hi possunt procedere ex intensiori & majori inclinatione voluntatis quàm illi, ob majorem videlicet hujus quàm illius Sancti excellentiam, ejusque apprehensionem, ideò possunt etiam cultus externi Sanctorum inter se diversificari ratione actuum interiorum diversorum à quibus procedunt: quæ quidem diversitas poterit etiam dupliciter notari in ipsis actibus externis: primò quidem sicut plures & perfectiori modo, quia nimirum ex majore & extensiori affectu & zelo: Secundò, quod frequentius repetentur & multiplicabuntur ex eodem principio, quia ubi major affectus & zelus, ibi minus tedium & major dispositio ad agendum: & his modis debet prevalere cultus exterior, seu per opera, quem Divo debemus Iosepho, ut scilicet plura fiant in illius honorem, & perfectius, ac etiam frequentius, ex majore & intensiori affectu, quàm per totum hoc Opus satis fecimus manifestam.

Synopsis

SECTIO IV.

Sequuntur aliquot modi Speciales quibus Divus Iosephus poterit coli & honorari à suis Clientibus.

XXXII. **D**uo includit Cultus Sanctis in Cælo cum Deo regnantibus debitus: Honorem & Imitationem. Honor est in affectu, laude & veneratione: Imitatio est in opere. Honorem illis debemus, quia illorum exigit dignitas, ut sunt Amici Dei, dicente Regio Prophetâ: *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Psalm. 138, vers. 16. & quia Deo placitum, nobisque expediens, venerari oportet fidei Principes, Advocatos, Universi, Præcones cælestes Christi, Hostium Propulsores, Semina Christianorum, Flores Paradisi, Ecclesiæ Ornamenta, Religionis Columnas, Turres & Propugnacula Civitatum & Regnorum.

XXXIII. Imitationem debemus illis quia sunt Sancti: Sancti enim esse debemus, si ad illorum aliquando societatem, quod tendimus, pervenire velimus. Qui tantum laudat nec imitatur, nugax est, & dubiam facit laudationem suam. Cur enim non prosequitur opere, quod extollit ore, cum facta verbis præstare omnibus notum sit? Qui imitatur & sequitur aliquem factis, etsi non laudet verbis, opere ipso magnificat.

XXXIV. Hinc Sanctus Joannes Chrysostomus tomo 4. Operum suorum sermonem habet egregium de Martyribus, quo hoc vult evincere, vel non esse laudandos, vel esse imitandos. *Quoniam (inquit) quem delectat Sancti alijus meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium: Quare aut imitari debet si laudat, aut laudare non debet si imitari detrectat.*

XXXV. Sed potissima ratio est, quod Sancti in Cælo regnantes in obsequiis nostris, & cultu quem eis deferimus, magis spectant Dei gloriam, & nostram utilitatem, quam suam venera-

tionem. Est autem Deo gloriosus, & nobis utilis eos imitari, quam laudare, ut constat: undè Sanctus Bernardus serm. 5, de Festo Omnium Sanctorum. *Ad quid Sanctis laus nostra? quò eis præconia nostra? pleni sunt, honorum nostrorum non egent, nec quidquam eis nostrâ devotione præstatur. Plane quod eorum memoriam veneramus, nostrâ interest, non ipsorum.* Melius ergo coletur Divus Iosephus virtutum imitatione, quam laude, vel prece: eaque ratione efficacius multò ipsius intercessionem & opem, quam exquirimus, obtinebimus.

Virtutes illius quas imitari debemus, sunt illæ in quibus maxime excelluit: Has autem habes Parte 2. Tractatu 3. Sed tùm præcipuè eorum aliquem actum tibi præfiges exercendum, cum eum adire desiderabis, ut per ipsum aliquid tibi necessarium seu temporale, seu spirituale à Deo obtineas. O quam efficax est hoc medium ad impetrandum à Deo per Divum Iosephum! verbi gratiâ, Cum conjuges aliquid à Deo per eum petere volentes, dum ut illud obtineant, simul oraturi proponunt, simul per aliquod saltem tempus continere, ad aliqualem imitationem ejus, quam ulquè ad mortem per triginta annos cum Coniuge suâ coluit continentia: vel dum Opifices, Mercatores, & alii totum lucrum aut quæstum unius diei per mensem Christo in pauperibus suis alendo devotent, & erogant, ad exemplum illius qui laboravit pro Christo, & de laboribus suis cum per tot annos aluit. Aliaque his similia, quæ ad præfatorum normam cuique erit facile ex vitâ & actionibus Divi Iosephi ad proximam deducere. Restat jam ut de honore dicamus.

Modos aliquos ipsum honorandi tetigimus in superioribus: hi cum aliis qui restant in universum ad tres reduci possunt.

Ad primam classem pertinent illi qui sunt Divinitus revelati, qualis est ille, qui eruitur ex historiâ Sacri & Seraphici Ordinis S. Francisci, quam edidit Pater Joannes de Fano, ubi meminit, prout & noster Hieronymus Gratianus lib. 5. de Sancto Iosepho cap. 4. & Doctor

Doctor Petrus Morales in Matthæum, duorum ejusdem Ordinis Religiosorum & Sancti Josephi devotorum, qui Flandriam versus navigantes naufragium passi, vectoribus, reliquisque undâ merfis, soli emergere: Etenim arreptâ tabulâ, cum tribus continuò diebus ac noctibus ab aquis jactati, in extremo vitæ discrimine egissent, implorato ferventiùs Divi Josephi auxilio, ejusdem statim apparentis ope, salvi & incolumes ad litus enatarunt: A quo in mandatis acceperunt, ut in ejus honorem, septemque ipsius laborum ac septem gaudiorum memoriam, totidem quotidie Pater & Ave recitarent, hinc enim futurum, ut tam ipsi, quàm quilibet alii, qui hoc pietatis exercitium susciperent, suum hæud dubiè patrocinium in cunctis experirentur necessitatibus. A quâ apparitione & revelatione sumpsit originem devotio quindecim dierum Mercurii consecutorum apud Patres nostros Discalceatos, saltem in Belgio, frequentata ut docet Pater Antonius à Matre Dei, ex eadem Discalceatorum Congregatione, in Libello cui titulus *Abregé des quinze Mysteres, &c.* Componitur enim ex septem laboribus, & septem gaudiis illis Divi Josephi invicem junctis qui faciunt quatuordecim: quibus addunt pro decimoquinto ejus Mortem in conspectu Domini preciosam, ex quâ ejus beatitudo.

XXIX. Ad secundam classem pertinent illi modi qui à Sanctis sunt practicati, ad normam illorum quo alii Sancti jam ante honorabantur: in quo genere est v. c. devotio Sanctæ ac Seraphicæ Matris nostræ Theresiæ, quæ nunquam inventa fuit seu in Monasterio, seu in itinere sine aliquâ Divi Josephi Imagine, quam sæpissimè extrahebat & identidem adspectabat, ut in illam sæpiculè contuens, nunquam ab illo mente abesset, ab ipsâ Deiparâ edocta, ipsius recordationem, pium ad ipsum recursum, patrociniumque ejus apud Deum ipsi semper summo-pere profuturum, ut etiam ipsa experiebatur.

XL. Ad tertiam Classem pertinet devotio eorum, qui ad memoriam suam

revocantes aliquam notabilem vitæ Divi Josephi circumstantiam, aliquid comminiscuntur, quo illam honorant actu aliquo, qui habet aliquam cum tali circumstantiâ affinitatem: v. c. qui in memoriam quod Divo Josepho Mariæ & Christo in Bethleem ad censum profectis, non fuerit locus in diversorio, excipiunt aliquando ad hospitium vel prandium hominem cum muliere puliolum gestante, exemplo illius mercatoris Hispani Valentini, de quo Divus Vincentius Ferrerius in serm. de Nativit. Domini: qui quolibet anno in die Nativitatis Domini hoc piè, ac religiosè practicabat: de quo fuit revelatum, inquit D. Vincentius Ferrerius, *Quod in morte apparuerunt ipsi Virgo cum filio & Sancto Josepho dicentes, quia recepisti nos in domo tuâ, idèo recipiemus te in domo nostrâ.*

Inter hujus ultimæ Classis devotio- XL I.
nes non ultimum apud Divi Josephi devotos, etiam litteratos, hodie tenet locum illa quæ ad sanctuarii trutinam appensa inventa est esse justæ ponderis & approbata specialiter ac commendata à Serenissimo Principe Electore Colonien- Episcopo & Principe Leodiensi: in suis litteris de datâ 10. Octobris 1675. quæ Devotio est septem dierum continuorum, si res urget, aliàs septem dierum Mercurii successivorum, quia ille dies apud fideles est Divo Josepho Sacër, sicut Sabbathum ejus Spontæ castissimæ: & hoc in honorem septem Privilegiorum præcipuorum, ac singularium ejus prærogativarum, quibus supra omnes Cœlites post Sponsam suam emicat.

Ac primo quidem die, propter pri- XL II.
mam ejus prærogativam, prædestinationem scilicet ejus tam extraordinariam, quam illam esse ostendimus esse in superioribus, Part. I. Tract. I. Pro- lud. 5. & seqq. Istam prædestinationem primam ejus prærogativam dico, non tantum, quia prima est tempore, sed etiam quia fons est & origo omnium aliarum.

Secundo die, propter gratias ele- XL III.
ctissimas ei à Deo in vim hujus prædestinationis collatas, quibus eum disposuit & præparavit ad illud, ad quod eum prædestinaverat, quas prosecuti sumus

Parte primâ Tractatu 3.

- XLIV. Tertio die, propter eminentissimam illam, & incomparabilem dignitatem Patris JESU, de quâ Part. 2. Tract. 2. ad quam primariò & directè electus est & prædestinatus, & cujus intuitu gratias quas suprà accepit, aliasque quæ sequuntur prærogativas.
- XLV. Quarto die, propter aliam eminentissimam quoque licet Beatissimæ Virginis Deiparentis, de quâ part. 2. tract. 2. quâ mediante, Deus magnum illud intentum ad finem perduxit, per quam, inquam, illum effecit filii sui Patrem.
- XLVI. Quinto die, propter gratias illas singularissimas, quibus cum Deus largissimè & abundantissimè cumulavit, ut dignè ornaretur ad congruè sustinendas illas duas eminentissimas dignitates: de quibus gratiis supetius, Parr. 2. Tract. 3.
- XLVII. Sexto die, propter eminentem gloriam, quam per usum exactum istarum gratiarum meruit, ad quam Deus illum evexit, & per quam illum consummavit, omnesque præmemoratas illius prærogativas coronavit: de quâ gloriâ hâc Part. 3. Tract. 1.
- XLVIII. Septimo & ultimo die, propterea quod in illo eminentissimo gloriæ statu est Proto-Patronus omnium, eorumque in vitâ & in morte Proto-Protector, pro quo vide quæ part. seq.
- XLIX. Hâc porrò devotione, si eam ex objecto consideremus, quid quæso purius? quid solidius? nihil enim aliud præ oculis habet quàm Dei dona, eorumque ubertatem, quæ in illo Viro Sanctissimo suspicemus & honoremus, & in quibus partem accipimus per sanctam quandam complacentiam, per affectum sinceræ benevolentiae, & cordiale congaudium & adgratulationem: persuasi firmiter nihil illi gratius accidere posse, quam ut cum iplo gratias reddamus Deo, quod eum in tantum dilexerit: nihil enim adeò placet Sanctis, qui cum Deo regnant in Cœlo, immò etiam illis qui pugnant adhuc nobiscum in terris, quam dum vident plurimum ora & corda sibi uniri, & secum aperiri in gratiarum actionem Deo pro favoribus, quibus ab illo cumulati sunt tam copiosè.
- L. Hinc Apostolus ex infinitis periculis

& discriminibus singulari Dei protectione creptus, scribens ad Corinthios, illorum adjunctionem implorat: *Et inquit, ex multorum personis ejus, quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.*

Hanc sanctam praxim proponit hæc devotio septemdiaria in honorè septem præcipuarum Divi Iosephi prærogativarum: unde fieri nequit quin ex inde magnam capiat ipse delectationem, seque iis qui illam frequentant sentiat obstrictum, ut qui probè sciat, quod gratiæ quas à Deo tam copiosè & largiter recepit, non possint sat dignè recognosci, etsi omnes Angeli & homines omnes simul unirentur in eum finem.

Tandem eminentissima illa dignitas Patris JESU, quâ iste Vir Sanctissimus insignitus est, usque adeò eminet, ut ipse eam ut par est recognoscere non valens, vellet centum millies millium millionum hominum corda & linguas habere, ut aliquâ saltè ratione posset tantæ gratiæ respondere, unde non potest fieri quin ingenti gaudio afficiatur & rapiatur, dum alii se ei adjungunt ad supplendum defectum suum, & exaltandam secum infinitam in se Dei misericordiam, maximè verò gratiam istam suæ paternitatis, quæ fuit in eo origo omnium meritorum & magnalium suorum, immò & existentiae suæ ut docuimus suprà Part. 1. Tract. 1. Prolud.

His addo quod per hanc devotionem rem etiam pergratam facimus homini Deo, qui eum inter mortales omnes elegit in Patrem suum: amat enim eum honorari propter dona sua quibus ipse eum honorare voluit, & quæ ei eo sine contulit ut à nobis honoraretur.

Hæc verò devotio est septenaria tripliciter. Primò, ex objecto, quia in eâ septem Divi Iosephi prærogativas suspicimus. Secundò, ex subjecto seu materiâ, quia per septem exercitia pia, orationes septem ad illas septenas prærogativas aptatas, per Horas Canonicas septem, Communiones septem, & alia similia illas honoramus. Tertiò in duratione, quia septem diebus vel continuis, vel Mercuriorum per

per alios interpolatis perficitur: & ex hoc inter omnes quæ sunt in numero, ut sunt Octavæ, Novenæ, Quindenæ, optimi augurii, quia numerus septenarius inter omnes est maximè mysticus, plus omnibus & Religioni & Mysteriis serviens Divinis, ut patet ex Sacrà Scripturâ.

L.V. Hinc ab initio mundi septimus dies à Deo fuit sanctificationi & Divino Cultui designatus. Hinc in Tabernaculo foederis erant septem lucernæ, Exodi cap. 25. Hinc in solemnitate septimi mensis præcepit Deus offerri sibi in holocaustum agnos anniculos immaculatos septem, Numer. cap. 29. Item ibidem decimâ ejusdem septimi mensis agnos itidem septem: & decimâ quintâ die duplum, idest agnos bis septem, sive quatuordecim: sex diebus sequentibus totidem: Octavâ autem illius diei, qui erat celeberrimus, agnos anniculos immaculatos septem. Et Job cap. 42. Eliphaz Themanites cum duobus sociis, Baldad Suhite, & Sophar Naamathite contra quos iratus erat Dominus, jubentur ire ad Job, & cum illo offerre pro se in holocaustum & propitiationem septem tauros, & septem arietes, quo facto placatus est Dominus: Hinc Pfalter Regius septies in die laudem dicebat Domino super judicia justitiæ suæ, Psalmo 118. vers. 164. Hinc sunt septem Spiritus, seu Angeli qui adsunt ante thronum Dei: Hinc in Dedicatione Templi Salomonici 2. Paralip. cap. 7. Fecit Salomon solemnitatem septem diebus, & omnis Israel cum eo, & dedicavit Altare totidem diebus: Hinc Sanctus Pater noster Elias oscitavit super puerum mortuum septies, & septimâ vice spiritum vitæ recepit: Hinc Sanctus Eliseus primus ejus Discipulus Naaman Syro præcepit, ut se laveret septies in Jordane, & septimâ vice à leprâ mundatus est: Hinc fortitudo Sampsonis consistebat in septem crinibus capitis ejus. Hinc sunt septem dona Spiritus Sancti, septem Sacramenta novæ legis, septem petitiones in Oratione Dominicâ, septem stellæ in dexterâ Dei, septem sigillis clausus est & ob-signatus liber mysteriorum Dei: & sexcenta alia similia per totam Scripturâ.

Vide alia ex Philone Judæo & Pithagoricis de sanctitate, perfectione, & excellentiâ hujus Numeri Septenarii supra alios apud Cornelium à Lapide in cap. 5 Deuteron. ad vers. 12. & Andream Masium in librum Josue cap. 6. vers. 11.

Ex quibus patet hanc Devotionem, L.VI. ad hunc septenarium numerum redactam, non posse dici aut ullo modo haberi de superstitione suspectam, cum illius tot exempla habeamus in Scripturâ. Deindè etiam quia iste numerus hic non est arbitrarius ut evenire solet in superstitionis: nam regulatur à Privilegiis seu Prærogativis Divi Josephi numero septenario comprehensis: Omnia enim quæ de Sancto illo magna & excelsa dici possunt aut excogitari, aut Dei dona quæcumque quæ in illum congestit plenissimo cornu Deus, & ob quæ Deus vult in illo honorari, ad unum ex septem illis privilegiis omninò reducuntur, ut facile patebit consideranti. Et ideò hæc Devotio ad hanc amulim formata per se limitata est ad septenarium numerum, nec minorem nec majorem, & in eâ Deum sequimur, qui cum omnia in numero, ut in pondere & mensurâ faciat, Magnitudinem sui amantissimi Patris ex magnis illis septem Privilegiis constituere voluit.

Hujus virtutem & efficaciam Devotionis plurimi omnis conditionis & in animâ & in corpore experti sunt, qui eam à tempore quo publicata fuit & instituta in Ecclesiâ nostrâ Leodiensî authoritate Serenissimi Principis Electoris Colonienfis, Episcopi & Principis Leodiensî per Litteras suas, quarum mentionem fecimus hic supra num. 41. & quas in calce hujus Capituli subnectemus frequentarunt: experientur etiam, hoc mihi spondeo, omnes quotquot illam frequentabunt, si eâ devotione, spe, & fiducia, quâ par est illam suscipiant & prosequantur, agnoscentque proprio suo experimento, quam grata sit Divo Josepho, & Deo, qui eum amat, eosque, qui eum colunt & honorant suis prosequitur favoribus & beneficiis.

Bis ego ipse virtutem & efficaciam L.VIII. hujus Devotionis expectum me credo:

Primâ

Primâ vice anno 1672. postquam enim obstinatâ defluxione in raucitudinem incidissem talem, ut per totos sedecim menses nedum canere in Choro cum aliis possem, sed nec psallere seu legere, cum nec ferè audirer in colloquio familiari nisi ab attentè auscultante, & aures porrigente, ut per centum testes constat, tentatis per illud tempus omnibus Medicorum remediis in vanum: frustraneis etiam, Deo ita volente, in eundem finem ad alios Sanctos votis & devotionibus, venerunt tandem mihi in mentem septem præmemorata, eo ordine quo supra, Divi Josephi Privilegia: tum deinde subit cogitatio & voluntas implendæ hujus devotionis septenariæ, quam spe plenus aggressus sum circa finem Februarii ejus anni: nec spem fecellit eventus, perductâ enim ad tertium diem Mercurii devotione, quarto (qui est medius septenarii) cum essem Huius apud Moniales nostri Ordinis, ubi pro felici successu oneris mihi ibidem commissi Missa de Spiritu Sancto cantanda erat, eam ipse cantavi voce plenâ & clarâ ut ante, eliminatâ omni raucitudine non amplius rediturâ, quamvis (quod valdè notandum censeo) pridie illius quarti Mercurii navigio ascendens Leodio ad dictum oppidum Huyense, hæsissimè in rivi ad novem & amplius horas, idque mense Martio eo anno fati humido & frigido.

LIX. Secundâ vice eandem virtutem hujus devotionis expertus sum anno 1681. Passus enim per totam hyemem fati rigidam insomnia, ut sæpissimè vix mediâ per longissimas noctes horâ somnum caperem, imò nec propter astma in lecto manere possem, adhibitis pro hæc tædiosissimâ infirmitate trium expertissimorum Medicorum pluribus remediis, quæ nihil mihi profuerunt, ad Auxiliatorem meum pristinum recurri, eandem devotionem, rogatis etiam aliis ut se mihi adjungerent, repetii, statimque ut eam coepi, somnus qui fugerat ab oculis meis rediit.

LX. His autem opitulationibus à me hic allatis non aliam fidem, quam quæ humanæ Historiæ tribui solet, ullatenus haberi volo: memor Decreti Summi

Pontificis Urbani VIII. cui me, & à me dicta hæc submitto, à quo ejusque in Petri Cathedrâ Romanâ Successoribus nunquam recedere volo: Monco tamen æquum Lectorem meum, me non ignorare quod mendacium, fraus, & deceptio in hujuscemodi materiâ, impostura sit omni mendacio in aliâ materiâ gravior, quam nullus prætextus excusare potest.

*Sequitur Diploma Serenissimi
Episcopi & Principis
nostri Leodiensis.*

MAXIMILIANUS HENRICUS, Dei Gratiâ Archiepiscopus Colonienfis, Sacri Romani Imperii, Princeps Elector, per Italiam Archicancellarius & S. Sedis Apostolicæ Legatus natus, Episcopus ac Princeps Leodiensis & Hildesienfis, Administrator Berghesgadenfis, utriusque Bavariz, Superioris Palatinatus, Westphaliz, Angariz, & Bullionii Dux, Comes Palatinus Rheni, Landgravius Leuchtenbergensis, Marchio Franchimontensis, Comes Lofensis & Hornensis, &c.

Universis & singulis presentes nostras litteras visuris, lecturis, seu legi auditoris; Salutem in Domino. Ex injuncto nobis cælitus Pastoralis sollicitudinis officio, ad ea libenter animum intendimus qua ad divini cultus augmentum, Sanctorum in cælis regnantium honorem & animarum à Supremo nobis Pastore commissarum salutem conducere arbitratur. Itaque præclara Sanctissimi Patriarchæ Josephi IESP Christi Domini nostri Tutoris ac Nutricii, necnon Deiparæ Virginis Mariae Sponsi merito animo revolventes, eò libentius ad promovendum in animarum nobis subditarum cordibus ejus cultum & honorem cooperamur, quo efficacitorem ejus intercessionem gratiæ frequentissime potentissimum in omnibus necessitatibus patrocinium miracula crebriora in dies attestantur. Dudum quidem in diversis Civitatis & Diocesis nostræ Leod. Ecclesiis ejus festivitas solemniori ritu annua devotione recolitur, nunc verò exposito nobis quod sicut in universali Ecclesia, ita & ibidem crescente devotorum erga sanctissimum illum Patriarcham

triarcham numero, in Ecclesia dilectorum nobis filiorum RR. PP. Carmelitarum Reformatorum in Insula Civitatis nostrae Leodiensis instituta sit vel instituenda existat, unapud & devota utriusque sexus Christi fidelium Confraternitas sub invocatione ejusdem Sanctissimi Iosephi eidemque sic erectae seu alias erigenda Sanctissimus D. N. Clemens PP. X. per literas suas in forma Brevis de & sub data 27. Aprilis anni currentis sub Annulo Piscatoris expeditas per nos visas & recognitas varias Indulgentias tam Plenarias quam non Plenarias prout in dictis litteris latius continetur concesserit: Ideoq. Prior & Conventus dictorum PP. Carmi supplicari nobis humiliter fecerunt quatenus ad Canonicam dictae Confraternitatis erectionem Pontificiae auctoritatis robur adijcere & alias ut infra indulgere dignemur: ejusmodi supplicationibus benigne inclinati, auctoritate qua fungimur, praesentem Confraternitatem in dicta Ecclesia perpetuo erigimus & instituimus pro principali ejus Festo & aliis diebus juxta Breve Apostolicum per nos determinandis, illum vel illos dies assignantes qui per dictos Patres pro semel tantum eligentur.

Insuper ut dicta Confraternitas majora in dies suscipiat incrementa permittimus ut dicta Confraternitas una cum Indulgentiis eidem concessis publicetur, atque ut De votio septem consequentium dierum Mercurii in honorem septem praecipuarum Prerogativarum dicti Sanctissimi Iosephi, juxta formam mysticam ad nos transmissam in dicta Ecclesia institui ac typus vulgari possit & valeat, Auctoritate nostra tenore praesentium indulgemus & facultatem in Domino concedimus. Datum in Civitate nostra Colonia, die decima Octobris, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto. Et erat signatum. MAXIMILIANUS HENRICUS. Inferius. Locus (†) Sigilli. Deinde F. W. Schoenheym.

CAPUT IX.

Motiva Divum Iosephum
praecipuo honore & devo-
tione prosequendi.

TRIA sunt motiva, Sanctos qui cum Deo regnant in Caelis, honorandi: Primum, quia hoc exigit illorum dignitas, & amicitia Dei qua perfruuntur, juxta illud psalm. 138. vers. 16. *Nimis honorati sunt amici tui Deus: Secundum*, quia Deo placitum. *Sic honorabitur quemcumq. voluerit Rex honorari: Tertium*, quia expendit nobis, *Nimis enim confortatus est Principatus eorum*, & potestas apud Deum.

Sed haec motiva sunt generalia, quae respiciunt omnes Sanctos in universum, ut constat, omnibusque in communi conveniunt: Hic autem quaestio procedit de motivis, quae sunt specialia Divo Iosepho. Reducuntur autem haec ad tria, quorum alia tenent ex parte Dei, alia vero ex parte Divi Iosephi, alia denique ex parte nostri: de quibus sigillatim & eodem ordine sequentibus Sectionibus.

SECTIO³ PRIMA.Motiva hoc modo honorandi
Divum Iosephum sumpta
ex parte Dei.

DIVUS Iosephus Pater est Christi in quantum homo, ut toties repetimus: Filius sapiens non tantum ipse Patrem suum honorat, sed etiam gaudet & avert illum ab aliis honorari, & quanto plus videt eum honorari, tanto magis gaudet. An ergo subitandum ullo modo Christum Dominum velle Patrem suum Divum Iosephum, quem tantopere ipse extulit, a nobis etiam honorari? vult amicos, vult servos suos honorari, & ut honorentur ab aliis, eos ipse primus honorat, immo eorum ossa & cineres miraculis, prodigiis, portentis cohonestat, postetne ergo non velle honorari

A a a

aman-

Magnalia
D.
Josephi
S.V.
1718

- amantissimum Patrem suum, cui tot nominibus adstringi voluit?
- IV. Quod si propter justissimas rationes à nobis supra hoc Tr. & cap. 1. allatas, oportuit Divum Josephum aliquamdiu latere, & manere sine cultu, saltem meritis suis tam magnis proportionato, ut de facto mansit; an cessantibus his causis non volet tot annorum damnum ob suum & Matris suæ honorè passim refarciri, quis crederet?
- V. At nonne satis est dicere Deum aliquid à nobis velle, vel (etsi non vellet nos ad hoc obligare) scire hoc vel istud ei placitum, gratum ipsi futurum si faciamus, ut illa ultro & animo volenti amplectamur? mirum est quâ solertia Gentiles olim Deorum suorum, licet fallorum & fictorum tantum, voluntatem per oracula, per auguria, perque alia signa exquiserint, & exploraverint, ut ei se in omnibus, & per omnia conformarent: nec tantum ne displicerent, sed etiam ut eis placerent: an ergo patiemur ut illi prudentiores fuerint in generatione suâ respectu Deorum inanium, quam nos filii lucis in nostrâ, respectu Dei veri & unici?
- VI. Nec signa tantum & conjecturas habemus, ut illi, Deum nostrum velle ut Divum Josephum honoremus, non tantum ex bonis rationibus hoc ei gratum futurum certò & infallibiliter concludere possumus, prout de facto conclusimus in superioribus: sed insuper hæc super re voluntatem suam manifestè aperuit Deus tripliciter: Primò quidem, voce Revelationis: Secundò, voce populorum: Tertio, voce signorum: an ergo hoc præmittendum?
- VII. Primò, hoc manifestavit, voce Revelationis: & hoc iterum tripliciter. Primò, per Christum. Secundò, per Beatam Virginem. Tertio, per ipsum D. Josephum: quod quidem ut doctis notum est, est ei satis particulare, manifestumque signum Deum velle, & cupere nobis per ipsum benefacere.
- VIII. Per Christum quidem primò, Divæ Gertrudi Germanæ quæ, ut ipsamet scribit lib. 4. Insinuat. ad Divin. piet. cap. 12. quodam die Annunciationi B. Virginis Sacro, dum in choro cum cæteris Monialibus horis matutinis

operam daret, vidit omnes Cœlites Divo Josepho in præsentia Christi, & Sanctissimæ Matris ejus acclinari quàm reverentissimè, eique congratulante & applaudere de summâ ejus dignitate & gloriâ: quorsum verò hoc, nisi ut ipsa intelligeret, quid sibi exemplo Cœlitum agendum esset? quin etiam adjecit Christus monitum, ut si sibi benè consultum vellet, eum deinceps assidue coleret, quod & fecit. Secundò, Divæ Brigittæ Succicæ Ord. Sancti Salvatoris Fundatrici, à Revelationibus divinis commendatissimæ; cui Deus, uti præmemorata S. Gertrudi, commendavit ut esset huic Sancto devota, quemadmodum ipsa testatur. Videnda ipsa lib. 6. Revelat. suar. cap. 59. lib. 7. cap. 25. & lib. 9. cap. 58. &c. Tandem & maxime Seraphicæ Matri Sanctæ Theresiæ specialiter ad gloriam Divi Josephi per universum mundum propagandam electæ: Ipse enim Christus Dominus ei visibiliter apparsit, expressè injunxit, Primò, ut primum suæ novæ Congregationis Monasterium, quod Abulæ extruxit, Divo Josepho nuncuparet, quod & fecit, & deinceps alia tredecim quæ ipso auxiliatore, licet pauper, ædificavit. Secundò, ut deinceps ipsa per se & per suos ejus cultui & honori amplificando pro posse incumberet, quod etiam implevit: hinc enim & ipsius Sanctæ Mariæ, & suorum in hunc potentissimum Patronum tantus extitit affectus, tamque ardens zelus, ut eorum votis, preconiis, ministeriis, velificante Deo, mirum sit quantum ubique terrarum ignis amoris in Divum Josephum excreverit: Propter quod sicut Ordo primævus, Ordo B. Virginis speciali ac singulari titulo nuncupabatur, ita nova Congregatio Excalceatorum & Excalceatarum in eodem Ordine Congregatio, Divi Josephi Sponsi ejus jure nuncupari possit.

Secundò, hoc manifestavit Deus per Deiparam inter alios Venerabili Patri Balthazari Alvarez è Societate Jesu viro in scientiâ mysticâ admodum profundo, cum quo sæpè de suo interiori communicavit eadem Sancta Theresia nostra, qui obiit anno 1580. duobus

IX.

duobus annis ante ipsam in opinione sanctitatis. De quo ita Pater Antonius Balinghem ejusdem instituti in Calendario Sanctissimæ Virginis Mariæ 25. Julii ex ejus vitâ cap. 26. Laureti existens, inquit, in itinere Romano à Deipara singularia accepit dona, quæ & eum docuit, quæ ad ejus salutem & perfectionem multum referrent, ag in cæteris commendavit ei devotione ad Sanctissimum Josephum Sponsum suum ita præfatus Antonius Balinghem.

X. Maximè verò Seraphicæ Mariæ Sanctæ Theresiæ nostræ, uti ipsius honori amplificando specialissimè electæ & destinatæ: Cùm enim aliquando ipsa attentius ac profundius introversa contempleretur Divi Josephi rara magnalia, ei se visibilem Beatissima Virgo exhibuit, ei significans sibi gratissimam esse, summpereque placere devotionem ejus erga Sponsum suum dilectissimum: neque hic stitit, sed insuper ipsi gratias egit de zelo ac sollicitudine quâ ejus honorem promovere satagebat: ac in ejus recognitionem, torquem auream circumposuit collo ejus ex diversi generis contextam gemmis, lapillisque preciosissimis tanti fulgoris, ut ipsa ascerat nihil unquam simile in terrâ visum fuisse ex quo tali gaudio, tantaque spirituali consolatione perfusa est, ut nisi Deus cor illius dilatasset ferre minimè potuisset, ipsaque Sancta Mater testetur sibi non suppetere quibus illum explicare possit.

XI. Ista porrò torques aurea, meo videri manifestum erat duorum argumentum: Primum, quod sicut Sancta ac ac Seraphica Mater laborabat, ut in terris gloriam augeter Divi Josephi, ita etiam per hoc ipsum, ornamenta non modica addebat ad coronam Gloriæ quæ ipsam in coelis manebat. Secundum, quod sicut ipsa à Deo electa erat ut inter alia Divi Josephi honorem & cultum in hominibus promoveret, ita istâ torque tam preciosâ donabatur tanquam caractere & insigni hujusce sui oneris & honoris, ut sic animaretur, ut in id amplius & amplius incumberet, quod & exactissimè perfecit, & per se, & per suæ Congregationis Alumnos utriusque sexus, quibus id

commendavit, ut patet ex ejus Vitâ, Actis, & Historiâ nostrorum Excalceatorum.

Tertiò, id ipsum revelatum per Divum ipsum Josephum, patet ex eo quod retulimus superius ex Historiâ Seraphici Ordinis Sancti Francisci de duobus istius Ordinis Religiosis naufragis. Vide cap. præceden. sect. 4. num. 38.

XII. Secundò, principaliter manifestavit Deus velle se Divum Josephum ab hominibus honorari voce populi, quæ communi a lagio dicitur vox Dei: quia nimirum est ex instinctu Dei illos interiorius ad id efficaciter moventis: videmus enim omnes, sapientes & simplices, magnos & pusillos, ex omni ordine & omni mundi plagâ (non enim hic per vocem populi intelligimus vocem inconditæ turbæ, quæ ex Seneca est potius *argumentum pessimis*) seipsis & suâpre, seu ut christianius loquar, ex particulari Dei motione, eâque efficaci, ita nunc ei unanimiter affici, ut nihil simile visum fuerit nec præsentis, nec præteritis retro sæculis in aliis Sanctis quantumvis præcellentibus: pro quo vide hucque revoca quæ supra habes hoc Tractatu cap. 4. de progressu hujus devotionis, & cap. 6. de Statu præsentis hujus devotionis sect. 2.

XIII. Denique id ipsum tertiò Deus manifestavit voce signorum, seu miraculorum, quæ à Theologis dicuntur lingua Cælorum, juxta illud Marci capite ultimo. *illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Pro quâ re videntur facere omnia miracula quæ ad invocationem Divi Josephi inveniuntur ubique gentium patrata: Sed hæc sunt illi & aliis Sanctis communia, ad quorum piam invocationem Deus ingentia præstitit Beneficia: nec illa primariò & directè fiunt à Deo, ut cognoscimus illi gratum esse honorem quem illis deserimus, sed tantum indirectè & secundariò, quatenus scilicet, cùm directè probent sanctitatem & potestatem talis vel talis Sancti apud Deum, consequenter invitatur ad illorum cultum & invocationem.

XIV. Sed cùm in aliis Sanctis alia non inveniuntur miracula quæ directè probent

Magnalia
D.
Josephi
S.V.
1711

bent Deo placere, ei que gratum esse, ut illis cultum adhibeamus: inveniuntur tamen pro devotione & cultu Sancti Josephi, aliqua nimirum quibus singulari & extraordinario modo, ut pro singulari & extraordinario Sancto, ac directe probatur cultum illius esse Deo placitum.

XVI. Ad signa autem hujusmodi, illud, inquam, directe probantia, revoco torquem illam auream gemmis lapillisque preciosissimis intertextam, qua purissima Deipara in presentia Filii sui appendit collo nostrae Theresiae Seraphicae in recognitionem suae erga sponsum suum devotionis, simul etiam in signum suae electionis & inaugurationis ad officium ei singulariter a Filio suo commissum, Sponsi, inquam, sui honorem promovendi.

XVII. Alterum est hoc mirabilius quod retulimus supra cap. 6. sect. 2. num. 36. de Beata Margareta a Castro Ordinis Sancti Patris Dominici ex Antonio Penna in vita ejus, Petro Morales in Matthaeum cap. 1. lib. 1. tit. 1. num. 23. Balinghem in Calendar. Beatae Virginis Mariae 13. Aprilis. Engelgrave in Caelo novo part. 1. in festo Sancti Josephi §. 3. in cujus corde post mortem inventae tres gemmae, & in his imagines JESU, MARIAE, & JOSEPHI. O utinam! si non gemmas similes, aut illis insculptas imagines, nomen saltem amoremque effigiorum in illis cordi profundius nostro imprimamus, quorum aliquando in caelis contubernio per immentas aeternitates perfrui speramus.

XVIII. Sed heu si hodie corda majoris partis Christianorum aperirentur, nonne in illis loco istarum Sanctissimarum Personarum JESU, MARIAE, JOSEPHI, inspicerentur indita alte profana illa & enormia monstra putidae Veneris, vel Bacchi solutiois, vel avari Plutonis? sed ne his chartam deturpemus, ad Divum revertamur Josephum Virginis Sponsum, & in Virginitate supparem, consideremusque, ac diligentius observemus hoc caeleste & mirandum prodigium.

XIX. Cordi Sanctissimae Virginis Clarae de Monte-Falco erga augustissimam Trinitatem impensissimè in paucis af-

fectae, eadem ipsa Trinitas augustissima sui vestigium inauditum & mirabile impressit: Nam ex Boetio Eugubino lib. 15. & Chronico Sancti Francisci lib. 4. cap. 42. in eo post ejus mortem in conspectu Domini preciosissimam, inventae sunt tres glandes oblongae, seu carnae pillulae, magnitudinis olivarum, quae & singulae divisim, & omnes simul ad bilancem appositae inventae sunt esse ponderis ejusdem: quas ibidem extra urbem, in Patrum Augustinianorum Monasterio adhuc asservari, & sibi ostensas fuisse scribit Franciscus Costerus in Concion. Festi Sanctissimae Trinitatis.

Cordi ignito Ignatii Sanctissimi, Martyris invictissimi, Patroni mei longè amantissimi, post mortem interdentes Leonum pro Christo obitam, inventum Jesu Nomen litteris aureis non alia quam divina manu exaratum. Cordi purissimo Sancti Petri Thomae, Patriarchae Constantinopolitani Ordinis nostri, Legati Apostolici pro recuperatione Terrae Sanctae, Martyris quoque in eo munere strenuissimi, nomen Mariae cui supra modum afficiebatur, appressum legimus, istud apud Baronium, hoc apud Patrem nostrum Lezanam in Annalibus nostri Ordinis, & alios: Pedibus, manibus & lateri Seraphici Patris Sancti Francisci inusta sacra misericordissimi Salvatoris nostri Crucifixi Stigmata: iisdem membris Sanctarum Virginum Catharinae Senensis Ordinis Praedicatorum, & Mariae Magdalenae de Pazzi nostri Instituti, eadem quoque Stigmata, infixam insuper utriusque Capiti spineam ejusdem Salvatoris Coronam, sed illi visibiliter, his solum invisibiliter: his tamen, ut illi, verè & realiter. Hujus devotissimae Virginis Dominicanae cordi harum trium Coelestium Personarum JESU, MARIAE, JOSEPHI, inveniuntur insitae imagines. Quid quare hoc?

Certe nihil simile legimus nec de Sancto Michaeli, nec de Sancto Joanne Baptistâ, nec de Sanctis Apostolis, aut quolibet alio Sancto quantumvis magno, ceteri multos inveniamus certis quibusdam vehementer ac mirè affectos: Solus Divus Josephus inter omnes Coelites huic prerogativa reperitur

tur communicare cum Sanctissimâ Trinitatē Cœlesti & Æternâ, & cum JESU & Maria, cum quibus ipse fecit aliam Trinitatem in terris, facitque & nunc in Cœlis. Quale hoc signum? quidve inde concludendum? Nimirum ipsum verè esse extra ordinem cæterorum Sanctorum, ut diximus: Ipsum cum JESU & Maria representasse in terris Imaginem Æternæ Trinitatis quæ est in cœlis expressissimam, & cum iisdem constituere unam Hierarchiam in Cœlestibus. Denique Devotionem erga Divum Josephum placere Deo, plusque illi esse cordi quamcumque aliâ: sicque impletur illud quod legimus Proverb. cap. 27. *Qui custos est Domini sui glorificabitur.*

SECTIO II.

Motiva hoc modo honorandi Divum Josephum sumpta ex parte ipsius Divi Josephi.

XXII. **Q**uia hoc Tractatu, in quo agimus de Cultu Divi Josephi, non disputamus de cultu quocumque, & omnibus Sanctis cum Deo in Cœlo regnantibus in communi debito, & exhiberi solito: sed de cultu illi proprio, idest singulari & præcipuo: idèd hic dum motiva proponimus, seu rationes ob quas illum cultum singularem & præcipuum Divo Josepho debemus: sive illa motiva sumantur ex parte Dei, sive ex parte Divi Josephi, sive ex parte nostri, non illa congerimus quæ ipsi & cæteris Sanctis sunt communia: hæc enim sunt satis unicuique vel tenuiter instructo obvia. Sed illa seligimus, quæ isti cultui singulari & præcipuo respondent, idest quæ sunt illi singularia, & nulli alteri propria.

XXIII. Sancta ac Seraphica Mater nostra Theresia sub finem libri quem ipsa composuit de viâ ad perfectionem, post alia saluberrima monita quæ toto illo libro proponit suis Lectoribus, maximè Filiis & Filiabus ad comparandam perfe-

ctionem, non præterit hanc Divi Josephi devotionem, sed vehementer commendat his verbis. *Quamvis multos Sanctos pro Patronis & Advocatis habeamus apud Deum, particularem tamen erga Beatum Josephum habetote devotionem, qui à Deo multa obtinet pro suis clientibus.*

Ubi animadvertendum motivum XXIV. quo utitur sancta ista Mater Theologia mysticæ Doctrinæ Angelicæ, seu melius Seraphicæ ut Divi Josephi devotionem suadeat, & ad eam inducat: *Particularem tamen, inquit, erga Beatum Josephum habetote devotionem: qui à Deo multa obtinet pro suis Clientibus,* ut intelligamus eam, in hæc quam proponit Divi Josephi devotionem, non moveri ex aliquo particulari affectu, & ut ita dicam quasi humano studio, quemadmodum nos ut plurimum, aut saltem frequenter, moveri solemus erga Sanctos qui nobiscum aliquam habent vel tantillam conjunctionem, ut quia sunt ex familiâ nostrâ, vel Fundatores aut Patroni, aut Alumni Ordinis nostri, vel quia sunt ejusdem nobiscum Patriæ, Urbis, Domus, stirpis, status, conditionis, artis, nominis, quæ sunt motiva satis particularia, & quorum ratione solent Sancti etiam à Viris doctis, illis quibus cum in istis communicant, specialiter commendari, ut notum est: sed purè respexisse ipsum patrociniû, ejusque efficaciam in se, & eorum utilitatem quibus illam devotionem volebat commendatam.

Non deerant Sanctæ Matri, suis inter XXV. alia ad comparandam perfectionem media hanc D. Josephi devotionem proponenti, alia motiva particularia mox allatis similia, imò majora, quæ potuisset ad hunc finem consequendum illis proponere: ut quod ipse jure matrimonii cum Beatissimâ Virgine Ordinis Patronâ singularissimâ, esset quod ipse ejus Patronus singularissimus: quod non posset non amare Carolum, quem eadem Conjux sua semper dilexit uti primum peculium suum & primam hæreditatem suam, sibi etiam antequam esset dicatum: Quod omnes & singuli istius Ordinis essent ipsius toti, sicut & Beatæ Virginis Conjugis

fuæ: Quod Deus & Beata Virgo ei revelassent placere sibi plurimum istius Sancti cultum & devotionem: Quod ipsam solemniter inaugurassent & illos cum ea elegissent ad id muneris, cultus, inquam, & honoris Divi Josephi promovendi.

XXVI. Sed missis illis particularibus, quamvis maximè allicientibus motivis, ad alia solidiora & certiora se convertit, aut saltem ad unum virtute multiplex: suadet, inquam, suis particularem erga Sanctum Josephum devotionem ad comparandam perfectionem, & alia quævis beneficia à Deo efficaciter promerenda, & certò obtinenda, ob patrocini ejus supra cætera omnia excellentiam; ob majorem, dico, ampliore, & certiore erga omnes, maximè verò potissimum erga eos qui sibi devoti existunt, ejus opitulationem.

XXVII. Ideò ergò vult Seraphica Mater nos Divo Josepho singulariter affici, & æquum est nos eum majori quàm cæteros Sanctos devotione prosequi, quia plus potest apud Deum pro nobis, & plus vult quàm illi. Plus potest quàm illi, primò quia sanctior est; secundò, quia Pater est JESU. Plus autem vult, quò propensior est: Notum est quippe quò sublimior est magnitudo, & quò proprius ad Divinæ Majestatis similitudinem adnotata est generosæ mentis excelstitas, eò propensius & benignius quoslibet quantumvis infra se positos intuetur; nihilque ab ullo sibi oblatum aspernatur quamvis exiguum: affectari enim affectat imitando quantum homini fas est quotidianum Dei exemplum, qui cum nullius egeat, vel minima tamen, etiam postremorum hominum, non admittit modò; sed inter nomina reponit, & creditor licet, in arte nostro esse, ac debitor teneri vult. tantum abest ut respuat, dedigneturve tanquam incongrua, aut indecora magnitudinis suæ immensitati.

XXVIII. Atqui ex toties repetitis tamque luculenter hætenus probatis, nulla post Deiparam Magnitudo propius accedit ad Divinam, quàm Sanctissimi Josephi nostri: Nulla ergò propensius, nulla benignius nos intuebitur: sed quia hæc videntur potiùs spectare patrocini ejus, ejusque efficaciam, quod est ne-

gotium sequentis Tractatus, ideò hæc tantum libasse contenti sumus; ut appareat Lectori etiam esse hujus loci: & Lectorem fastidire nolentes, eò remittimus, ut si fortè de hæc materià dicendum contingeret, inveniat undè plenè auditoribus in hoc puncto satisfacere possit.

Tua igitur eminentia ò Sanctissime Pater JESU! in sublimi Cœlestium fastigio dignitatum collocata, sese tamen ad nostra benevolentius aspicienda demitteret, nostraque obsequia humanius suscipiet, non quia munera & oblationes nostræ magnæ esse possint, sed quia tu magnus es, nec quia te dignæ esse queant, sed quia generosa & excelsa est dignatio tua: hanc unicam habet rationem vota nostra respiciendi & recipiendi Sanctitas tua, nos verò offerendi plurimas: de peculiaribus sequenti Sectione.

SECTIO III.

Motiva hoc modo colendi Divum Josephum sumpta ex parte nostri.

Ostendimus motiva colendi Divum Josephum quæ se tenent ex parte Dei esse præcipua, & talia qualia nulla similia in cæteris Sanctis, & ideò præ cæteris omnibus à nobis colendum: idem quoque ostendimus ex motivis quæ se tenent ex parte Divi Josephi, quod adhuc magis patebit ex dicendis Tractatu sequenti: Atqui motiva illum colendi quæ se tenent ex parte nostri, sunt etiam ejusmodi, idest præcipua; ita ut nulla inveniantur in aliis Sanctis similiter moventia, ergo & ex hoc capite (consequenter undequaque) Divus Josephus præcipuo honore colendus.

Prima ergo ratio Divum Josephum præcipuè colendi sumpta ex parte nostri, est quia plus ei debemus quàm cæteris Sanctis. Plus autem nos ei debere quàm cæteris ex hoc constat, quod ipse plus nobis profuit, magisque ad salutem nostram contribuit, quàm quivis alius post Spontam suam. Probatur quia obsequia quæ præstitit Christo

Christo Domino Salvatori nostro etiam in ordine ad officium Salvatoris, consequenter in ordine ad salutem nostram, præstantiora sunt eis, quæ præstiterunt quivis alii Sancti: ipsum enim Salvatore velavit dæmoni ut mysterii Cooperator, ipsum curavit ut Tutor, ipsum aluit ut Pater, ipsum liberavit ut Salvator. Quare etsi nobis nihil amplius ab eodem Sancto accipiendum, restaret tamen pro istis quæ prærogavit, ex quibus totum bonum nostrum, & majora omnibus quæ accipere possemus, nisi ingratis benefecit, præ omnibus adhuc honorandus erit.

XXXII. Secunda ratio Divum Josephum præcipuè colendi sumpta ex parte nostri, est quia ipsius patrocinium est nobis addictissimum, & super omnia alia cæterorum Sanctorum acquisitum, ex quo nimirum in nobis ipsis est, & invenit rationem potentissimam cur nobis plus quam cæteri Sancti affici debeat, & propter quam moveatur ut nobis succurrat, nosque de facto plus illis juvet. Quamam verò illa? hæc scilicet, quod quemadmodum Beatissima Deipara nobis aliquo modo tenetur de Maternitate suâ, ita Divus Josephus de suâ Paternitate & magnitudine. Et quidem illa & illa miseræ nostræ, illa & illa peccata nostra, ob quæ illius patrocinio indigemus, illiusque opem imploramus, illa inquam, superbia mea, illa luxuria mea, illa avaritia mea, quæ liberari per ipsius intercessionem exopto, & efflagito, fuerunt causa felicitatis ejus: sine enim illa superbiâ meâ, luxuriâ, avaritiâ, &c. Filius Dei in carne non venisset: si Filius Dei in carne non venisset, non fuisset Divus Josephus illius Pater; si non fuisset Pater, non fuisset tantus qualis est. Atque adeo quod Pater est, quod tantus est, id nobis aliquo modo debet, & ideo, exinde movebitur potentissimè ut nobis succurrat.

XXXIII. Alio adhuc modo potest explicari hæc secunda ratio Divum Josephum præcipuè colendi sumpta ex parte nostri: quod scilicet ipsius patrocinium causa nostræ sit addictissimum, & super omnia alia cæterorum Sanctorum nobis acquisitum: nempe quia patro-

cinium ejus fundatur in magnitudine dignitatis & meritorum ejus: Magnitudo verò illa, & sublimis ejus assumptio, est quod præ omnibus Sanctis post amantissimam Sponsam suam Virginem Matrem, summam obtineat elevationem in executione supermirabili Mysterii Sanctissimæ Incarnationis: cumque in hæc oculus æternæ misericordiæ infigatur in miserabili peccatorum ruinâ, & ad ipsos salvandos se exportiget summæ bonitatis affectus, Sanctus Josephus executioni tanti Mysterii proximè involutus, non potest non intentum in peccatores oculum & effectum habere, non modò quia divinæ miserationis inclinationi, quam de proximo cognoscit, se cõformat, sed etiam quia peccata nostra, Superbia v. g. Gula, Luxuria, Avaritia, &c. licet in se prægandia mala sint, & summe detestanda, tamen per omnipotentis Dei misericordiam, maximum inde in peccatorum gratiam bonum elicatum est, propter quod canit Ecclesia, *O felix culpa que talem ac tantum meruit habere Redemptorem.* Juxta quem & modum Sanctus Josephus in tantam dignitatem, augustissimamque meritorum copiam assurrexit, & patrocinandi vim potentissimam acquisivit.

Ut ergo de Dñâ Deiparâ ad nostram consolationem sancta canit Ecclesia, *Virgo proculdubio peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores, tanto digna filio:* sic etiam & nos de Sanctissimo Proto patrono nostro Divo Josepho dicere possumus, & omnino debemus propter paritatem rationis: *Joseph proculdubio peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores, tanto dignus filio:* Quare merito ei appendo hos versus, quos ei cecinit nescio quis Poëta Gallus.

*Quand au plus fort de vos borbeurs,
Vous contemplez nostre misere,
Souvenez-vous que nos malheurs
Sont cause que vous estes Pere
Du Dieu Pere de l'Univers:
Je crois que cette connoissance,
Obligera vostre Clemence,
De recevoir à bras ouverts,
Ceux à qui elle est redevable
Des graces qui vous font le Pere incomparable.*

Tertia

Synopsis

Magnalium
D.
Iosephi
SV
171

XXXV. Tertia ratio præcipui cultus quem Divo debemus Iosepho ex parte nostri, est quia ipse fuit omnis conditionis, seu quia in suâ personâ omnium conditiones mortalium collegit, summorum, infimorum, & mediorum, & idè omnibus aliquid sui inveniens, omnium necessitates curabit & sublevabit corde & animo volenti.

XXXVI. Sanctus Eligius est Aurifabrorum Patronus, SS. Crispinus & Crispinianus Sutorum, S. Isidorus Agricolarum, S. Homobonus Mercatorum, S. Ivo Causidicorum, S. Lucas Pictorum, SS. Cosmas & Damianus Medicorum, Sancta Catharina Martyr Philosophorum, SS. Augustinus & Thomas Aquinas Theologorum, S. Cecilia & S. Gregorius Magnus Musicorum & Cantorum, quia ipsi tales fuerunt: si ergo illi Sancti propter tam levem similitudinem creduntur affici illis, qui talium sunt actuum professores, ut idè illorum Patroni existimari, & a illis pro talibus haberi debeant, quanto magis Divo Iosephus erit universorum, propter expressionem uniuscuiusque illorum majorem?

XXXVII. Ergo ad eum recurrant Sacerdotes & Ecclesiastici, quia eandem in Templo quam ipsi victimam, Christum scilicet obtulit æterno Patri: Principes & Nobiles, quia erat de Domo & de Familiâ Davidis Regis: Plebei & Artifices, quia de labore manuum suarum se & familiam suam aluit: Reges, quia fuit verus ac legitimus hæres Davidici Sceptri: Vasalli seu subditi, quia ad Cæsaris edictum ascendit in Bethleem, ut profiteretur cum Mariâ sibi desponsatâ uxore prægnante: Coniuges, quia fuit Vir Mariæ: Cælibes, quia etiam in conjugio virginitatem servavit: Patres, quia Jesum habuit filium. Pauperes quia non erat ei locus in diversorio, & quia manus ejus non invenit unde aliud offerret pro filio quàm par Turturum aut duos pullos Columbæarum. Viatores, quia peregrè profectus est in Ægyptum, ut fugeret Herodem: Exules, quia ibi mansit usque ad obitum Herodis Regis, qui quærebat puerum ad perdendum eum: Activi, quia laboravit pro Jesu & Mariâ: Contemplativi, quia in silentio & recessu

vitam duxit quietam: Afflicti, quia tota ejus vera Crux fuit & molestia: quæ omnia constant ex dictis.

Quarta denique & ultima ratio, Divo Iosephum præcipuè colendi ex parte nostrâ est, quia vergente mudo ad finem, refrigescit amplius & amplius Charitas & Fides hominum, & idè amplius & amplius abundat illorum necessitas, ut potentiori proinde egeant auxiliatore: & hæc fuit una è causis ut diximus cap. primo hujus Tractatus cur Deus cum expressè referarit ut esset Patronus ultimorum sæculorum.

Sed, inquires, si ut credimus, & verum est, Beata Virgo Deipara est omnibus Sanctis sanctior: immò si, ut ut docent plerique Sancti Patres, omniam collectivè Sanctorum gratiam excessit, ergo consequenter sola potest apud Deum quod omnes & plus quàm omnes Sancti simul: Quare ad quid aliorum Sanctorum devotionem proponere aut velle suadere? sufficiat nobis Beata Virgo, quæ sola plus potest propter excellentiam suam, & vult propter misericordiam & affectum erga Deum & nos majorem, quàm omnes simul.

Fateor libentissimè Beatissimam Dei Matrem: plus posse pro nobis apud Deum quàm omnes alii Sancti simul: sed tamè non inde sequitur quod omnia per ipsam solum à Deo impetraturi simus; non defectu potestatis in ipsâ, sed quia Deus vult omnibus Sanctis suis, suum deferri honorem, & idè per hos hæc, per illos ista, per alios alia & alia præstat beneficia, aliâque in certis casibus miracula fecit, quæ non voluit facere ad invocationem Matris.

Simile quid, immò adhuc mirabilius videmus, ut docet D. Anselmus lib. de Excell. Virg. in Christo Domino: Licet enim ipse omnia possit authoritative, quia est Dominus universorum: & licet misericordissimus sit tanquam mediator univèr salissimus qui nos reconciliavit Deo in sanguine suo, nonnunquam tamen velociorem in memorato nomine Mariæ esse salutem experti sumus aut opem, quam invocato nomine Jesu: quomodo verò hoc

hoc cum non sit aliud nomen in quo nos oporteat salvos fieri? quia scilicet cum matrem suam honorat, vult etiam ipsam à nobis honorari, & ideo vult nos ad ipsam recurrere, & ad ipsius intercessionem nobis dare; quæ aliàs non erat daturus.

XLII. Ad eundem planè modum, & à fortiori, licet Beata Virgo omnia possit quia est Mater Dei, & bonitate superabundet, quia est Mater misericordiae: attamen aliquando ad alterius Sancti invocationem obrinebimus, quæ non obtineremus per Virginem, non quod hæc non possit, aut ille hæc potentior sit in hoc casu: sed quia Deus, apud quæ nimis honorati sunt amici ejus, vult etiam Sanctos alios à nobis honorari. Et inde est quod Deus in pluribus casibus certas personas, etiam Beatissimæ Virgini devotissimas, movet & inspirat recurrere ad istum Sanctum vel istum, non verò ad Beatissimam Virginem, quamvis apud te omnia potentem, quia vult omnibus & singulis Sanctis à nobis honorem deferri; Matri quidem supra omnes, cæteris verò in ordine suo, in quo jam debetur primus Divo Josepho locus, ut qui post Virginem primus sit in prædestinatione, Gratiâ, Dignitate, merito, Gloriâ & Potestate.

XLIII. Deinde non se semper Deipara Virgo solum sola interponit pro nobis apud Deum: ut nos tenerrimè amat, ita aliis Sanctis gloriæ suæ confortibus plurimum defert, & ideo vult ipsa sicut Deus aliquid illis dari: cui verò plus quàm Divo Josepho prædilecto Sponso suo, ad cooperandum secum Mysterio Incarnationis & Redemptionis consorti à Deo assumpto? & hæc est perfectio amicitiae Beatorum, quod sociorum suorum quisque gloriâ & honore sicut de suo gaudet: Æmulatio enim livor & invidia non potest habere locum in illis, in quibus Deus perfectè regnat, & quos accendit consummata charitas.

XLIV. Concludendum ergo omninò Divum Josephum præcipuo ac primo post Deiparam Sponsam suam inter cælestes honore dignum: Cum enim omnes excedat in prædestinatione, gratiâ, dignitate, merito, gloriâ & po-

testate, cum motiva eum colendi ex parte Dei, ex parte Divi Josephi, & ex parte nostri sint majora omnibus, & talia ut nihil simile sit in aliis Sanctis quantumlibet magnis, quid aliud sequi potest nisi ipsum esse præcipuo ac primo inter Cælestes honore prosequendum? Accipe hujus rei divinitem figuram.

XL V. Quamprimùm antiquus Joseph filius Patriarchæ Jacob, divinâ disponente Providentiâ, à Pharaone Ægypti Rege ad primam post ipsum istius Regni dignitatem sublimatus est, factus illius Pro-Rex, & Regii Ærarii, imò Annonæ totius Regni Præfectus; nullus omninò fuit aut tam parvus, aut tam magnus, qui non ad eum accederet, eum poplite flexo non adoraret, ab eo remedium fami, quæ premebatur, impetraturus: imò & fratres ejus de terrâ Chanaan excentes, eique adgeniculantes, supplices, ut alii, ad eum manus protendere coacti sunt, ut ab eo obtinerent unde & suam, & Patris, ac parvulorum suorum vitam sustentarent. Quid hæc historia? umbra est, attestante Divo Bernardo Homil. 2. super missus est, & figura, ac leve specimen admirabilis elevationis & potestatis alterius Patriarchæ ejusdem cum illo nominis, Divi, inquam, Josephi filii alterius Jacob in Regno Dei, qui quàm primum plene agnitus est, quod scilicet sit verè Pater JESU, depositarius humanitatis Verbo unitæ, collocatus super omnia bona ejus, tantò eum cæperunt homines per universum mundum prosequi honore, tantâ reverentiâ ejus merita suspicere & complecti, ut certatim omnes & singuli, particulares & communitates, Urbes & Oppida, Provincia & Regna, ejus Clientelam & protectionem præ omnibus exambiant: Et ipsi fratres ejus id est Sancti etiam ipsi, primi fuerunt qui ejus patrocinium exambierunt.

Tandem ut totam hanc materiam semel finiam, omnia per hunc Tractatum à nobis asserta hoc brevi claro & efficaci argumento confirmo: eo gradu à nobis honorandus est Divus Josephus, quo ipse à
Bbbb Deo

Deo honoratus est: Optima ista Regula: Atqui fuit supra omnes à Deo honoratus, ut patet ex ejus dignitatibus, gratiis illis commen-

suratis, & gloriâ utrisque correspondente; Ergo similiter à nobis supra omnes honorandus.

TRACTATUS TERTIUS ET ULTIMUS totius Operis.

DE PATROCINIO DIVI JOSEPHI.

I.

PATRONALEM Divi Josephi apud Deum potentiam exprimere tam difficile est, quam meritorum ejus excellentiam, & dignitatis prerogativam: Cum enim patrocinandi autoritas ex meritis atque dignitate, ut rivus ex fonte profluat, vel effectus ex causâ, istam his commenturari oportet. Quare quanta Divi Josephi apud Deum dignitatis ac meritorum magnitudo fuisse dignoscitur, tanta quoque sit apud ipsum patrocinalis ejus potestas necesse est: Ut ergo omnibus Sanctis, exceptâ Deiparâ Virgine, ipsum merito & prædestinatione seu dignitate præminere tot tantisque palam fecimus, ita omnino consequens est ut omnes potestate antecedar.

II.

Hæc ratiocinatio sola cordatis plenè satisfacit ad evincendum quod intendimus, nec pluribus fatigari velent ut adducantur ad credendum quod ex illâ conclusimus, Patrocinium scilicet Divi Josephi esse primarium, & super omnia post Deiparæ patrocinium eminere: sed quia non illis tantum, verum etiam simplicibus scribo, & suave est recolere Magnalia Dei in tanto Patrono, & meæ omniumque satisfactioni scribo, distinctè hoc ipsum


ex tribus Capitibus ostendo. Primò, ex eo quod ipsius Patrocinium sit omnium potentissimum: Secundò, ex eo quod sit omnium certissimum: Tertio, ex eo quod sit omnium universalissimum: His tribus absolvitur quidquid dici potest de excellentiâ Patrocini ejus. Quid enim excogitari potest quod ad Patrociniij cujuscumque excellentiam conferre possit, quod non vel in illis tribus contineatur Capitibus, vel ad illorum alterum reduci queat?

Ergo hæc tria singillatim hoc Tractatu de Patrocinio Divi Josephi demonstrabimus, tum deinde ad effectus ejusdem excellentissimi Patrociniij descendentes, Miracula quæ fecit in suorum gratiam Clientum, non omnia, quis enim illa excolligere posset? & si posset quando? & quis esset illorum finis? Sed nonnulla solum de quolibet genere ex probatis Auctoribus adducemus, & ad vitandum chaos, ut in aliis fecimus, ea ad certas classes reducemus: Sit itaque

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Patrocinium Divi Iosephi omnium potentissimum.

I.  Uob Ioseph antiquus filius Jacob ex Rachele, Pro-Rex Ægypti, fuerit figura incomparabilis Divi Iosephi Davidis Regis Filii & Patris JESU, usque ad nauseam repetimus, nullus est ambigendi locus, quandoquidem in illud Sancti Patres consentiant, & omnes quotquot sunt Sapientes: Unde factum ut eodem ille antiquus vocatus sit nomine quo hic noster, sic imago vel pictura repræsentans Petrum vel Joannem, vocatur Petrus vel Joannes, ut ille ipse homo quem repræsentat.

II. De illo autem antiquo gloriose & magnifice pronunciat Scriptura Ecclesiastici cap. 49. hæc verba. *Nemo natus est in terris ut Ioseph, qui natus est homo, Princeps Fratrum, Firmamentum plebis.* Cum ergo torum esse figuræ, imaginis, ac picturæ sit relativum, & ad aliud, idest ad repræsentandam rem cuius est figura, imago, vel pictura, illaque sit magis completa & perfecta (intellige in ratione figuræ, imaginis & picturæ) quæ melius repræsentat rem cuius est figura, imago, & pictura: & necessarium sit ut omne illud quod reperitur in figurâ, reperiat etiam in figurato, ac tantò excellentiori modo, quantò corpus superat umbram aut figuratum suam figurati: sequitur omninò quod illud quod loco mox citato dicebat Ecclesiasticus de illo antiquo, verificari debeat in Divo Iosepho Patre JESU ab isto antiquo figurato, idque tantò excellentius, quantò veritas figuræ prævalet, corpusque superat umbram. Itaque *nemo natus est in terris ut Ioseph noster: Primò, quia natus est homo: Secundò, quia Princeps Fratrum: Tertiò, quia Firmamentum plebis.*

III. Quod nemo natus sit in terris ut Ioseph noster, primò, quia natus est homo, idest in gratiâ, & cum pleno rationis usu, ut ex tunc eâ uti posset, & in eâ crescere. Secundò, ex eo quod ut Pa-

ter JESU sit *Princeps Fratrum*, idest Sanctorum & Prædestinatorum, quorum unio & concordia est fraternitas summa, explicavimus in superioribus, ac primum quidem Parte primâ Tract. 3. Secundum verò per totum Opus. Restat ut hic videamus quomodo etiam nemo natus sit in terris ut ille, ex hoc quod sit *Firmamentum plebis*, quod omninò sequitur ex illis.

Nam quemadmodum Ioseph antiquus fuit *Firmamentum plebis*, quia cum esset natus homo, idest tantâ prudentiâ & sapientiâ præditus etiam à puero, ac si eam ex ventre Matris attulisset in mundum in eâque semper in dies crevisset, ut propterea factus Princeps Ægypti & fratrum suorum, servavit frumentum, quo populus servatus est in annis sterilitatis, quibus procul dubio aliàs consumendus erat fame: Ita planè noster Sanctus Iosephus Mariæ Coniux seu Sponsus, cum natus esset homo verius quàm ille antiquus, quia gratiâ instructus, & usu pleno rationis, tanta in dies fecit incrementa, ut assurrexerit in Principem Fratrum, idest Prædestinatorum: Nonne ergo in eo constitutus culmine, erit *Firmamentum plebis*? Sed cum ut Pater JESU frumentum electorum servaverit, & sub eâ qualitate Mysterium Incarnationis velando, demonem eluserit, nonne per hoc meruit accipere à Deo in Cælis potestatem in illum, ut dissipet technas & dolos ejus, sicque populos suam protectionem exquirentes juvet & illos ab eo liberet.

Itaque juxta hanc figuram Divus Iosephus est *Firmamentum plebis*, & quidem omnium potentissimum, duplî ex capite: Primo, quia cum natus sit homo, acceptâ scilicet in ipso Matris utero gratiâ, & usu rationis, ut ex tunc eâ uti posset, & in illâ in dies crescere, prout fecit ex dictis, est omnibus sanctior. Secundo, quia ut Pater JESU, qui est fons omnis Prædestinationis, est Princeps Fratrum, idest Prædestinatorum, ut diximus supra num. 3.

Quantum ad primum, quod scilicet ejus Patrocinium sit omnium potentissimum, quia est sanctior cunctis: hæc ratio est evidentissima, quia

E b b b z

potestas

IV.

V.

VI.

potestas omnium Sanctorum apud Deum fundatur in eorum sanctitate, eique commensuratur, ut quantum Sancti participant de sanctitate Dei, tantum etiam participant de ejus potestate. Si ergo est Sanctior universis, consequens est ut sit etiam potentior.

VII. Revolvamus Historiam Ecclesiasticam ab exordio legis Gratiae usque ad nostra tempora, & videbimus non sine stupore, nisi stupidi simus, quam prodigiosa, quam stupenda ad favorem fidelium in particulari, & totius Ecclesiae in universum Deus operatus est miracula. O quam majora, quam frequentiora, quam in retroactis sub antiqua lege saeculis: sed si penitus omnia perscrutemur & inspiciamus, nonne inveniemus fere omnia ad intercessionem Sanctorum fuisse patrata? voluit nempe Deus ostendere hanc ratione quid possint apud se Sancti, ut ex inde animaremur ad sanctitatem: sed in his quis Sanctior Divo Josepho? Nullus ex dictis: nullus ergo plus illo poterit: immo cum sit sanctior universis, plus poterit quam ullus: hoc est clarum.

VIII. Quantum ad secundum, quod scilicet Divi Josephi Patrocinium pro nobis apud Deum sit omnium potentissimum ex hoc quod sit Pater illius à quo omne bonum patet. Quid enim non potest apud Deum Pater suus ex omnibus illis quae possunt alii Sancti, qui sunt solum ejus servi vel amici? Vel melius, potest ne ullus alius Sanctus, aut plures simul apud Deum quae potest ejus amantissimus Pater? Inter homines Pater Regis, si filius est cordatus, nonne plus poterit quam ullus Principum? Quis dubitat? & non poterit Divus Josephus Pater JESU apud JESUM plusquam ullus Coelitum? non credam.

IX. Pharaeo ut Josephum sublimaret antiquum, inter alia ei suum tradidit anulum signatorium. Dixitque ei Genes. cap. 41. vers. 41. & 42. *Ecce constitui te super universam terram Aegypti, tultq, anulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus. Ad facienda scilicet decreta quaecumque voluisset, ut quidquid ipse jussisset, Rex ipse jussisse cen-*

seretur, *vertitq, nomen ejus & vocavit eum Salvatorem Aegypti. Poteratne Pharaeo sublimius istum Josephum evehere.*

Annulus ergo iste non solum dignitatis & honoris insigne extitit, sed etiam autoritatis & potestatis, ut quaecumque à Josepho eo obsignarentur, rata & firma haberentur, nullusque eis contradiceret, fors nec ipse Rex, Josephi autoritatem, quam ei contulerat, reveritus: Si tanta Rex infidelis ac gentilis in Josephum alienae gentis hominem praestitit, observatum frumentum ad populi conservationem. Nunquid Deus potest ab homine vinci? An non haec magnificentia Pharaonis erga Josephum antiquum, scintilla est illius quae in Deo est? Nonne primus ille Iosephus hujus secundi umbra & figura? quoties id repetimus? Ergo ille ideò in Aegypto ita evectus est, ut colligere possemus quo loco sit Divus Iosephus in Regno Dei: Sed annulo praecipue signatorio donatur à Deo, ut ille antiquus à Pharaone: ut intelligamus, quod quidquid ille in nostram gratiam & utilitatem subsignaverit (subsignabit autem quae volet, quia potest, annulo Dei instructus) rata & firma habeantur, ut, inquam, intelligamus quod si petitionibus nostris anulum appresserit Ioseph, suum robur, vires suas etiam apud Deum obtinebunt, ut rejici nequeant.

Diceret ergo non orare, sed jubere, non impetrare, sed imperare, in cuius rei figuram vide quomodo Jacob Patriarcha filium suum praefatum antiquum Josephum Aegypti Pro-Regem deprecatur, & quid deprecanti Patri respondeat Ioseph, Genes. cap. 47. vers. 29. & 30. *Cum, inquit, appropinquare cerneret Jacob diem mortis suae, vocavit filium suum Ioseph, & dixit ad eum, si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, & facies mihi misericordiam & veritatem, ut non sepelias me in Aegypto, sed dormiam cum Patribus meis, & auferas me de terra hac, condasq, in sepulchro majorum meorum, cui respondit Ioseph, ego faciam quod jussisti. Ubi adverte quod Jacob deprecatur Ioseph ut Pro-Regem,*

gem, & potestatem habentem, & tamen Joseph dicit Jacobo. quia Pater, faciam quod jussisti, sic deprecationem Patris vocat jussionem.

XII. Absit ut in cælis arbitrer adhuc vigere illud imperium, quod D. Josephus in terris exercuit in Dominum JESUM, qui erat subditus illi: Etenim cessante illic causâ subjectionis, nequit stare effectus. Nimirum Christus in statu viatoris sese composuit in tyrum. in quem respicere, & cui se conformare debebant sequaces ejus: atque adeo tunc formulæ omnes humilis animi eum decebant uti Mythagogum. Sed salutis humanæ expleto mysterio, & homine Cælis assero, Christus non subditur, sed eam agit personam quæ decet caput Ecclesiæ, nefas tamen est arbitrari eum esse immemorem tituli Patris quo dignatus est Josephum honorare: Hinc Sancta Theresia nostra, lib. vit. suæ cap. 6. *Sicut, inquit, ipse Deus in hoc mundo vivens factus homo, voluit esse subditus Divo Josepho, & ejus obedire mandatis: ita etiam in Cælis ad dexteram Patris gloriosus existens, nihil ei pro nobis interpellanti negat: quin immo libentissimè omnia concedit, illius pia semper petitioni velut adhuc ei subditus obtemperat.*

XIII. Redeamus ad antiquum Josephum Ægypti Pro-Regem, videamusque in eo quomodo Divus Josephus ab eo figuratus suos post mortem protegat & juvet. Ille antiquus suæ finem vitæ imminere sentiens: *Locutus est Fratribus suis, post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terrâ istâ, ad terram quam juravit Abraham, Isaac & Jacob: asportate ossa mea vobiscum de loco isto: mortuus est, & conditus Aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto, Genes. cap. 50. vers. 23. 24. & 25.* Vides in Ægypto sepeliri Josephum ibique recondi, sed cur non adjuravit ut defunctus statim in Chanaan ad Patrum suorum sepulchra deportaretur ut fecerat Pater suus Jacob ex mox dictis num. 11. Cur tamdiu distulit, donec Israëlita sub Moysè Exodi c. 13. vers. 19. ab Ægypto ascenderent in terram istam? Audiendus hæc super re Nicolaus de Lyrâ ad istum locum: „ Non adjuravit, inquit, ut statim post

mortem ejus portarent illuc corpus suum sicut portaverant corpus Patris sui, & sicut portata sunt corpora fratrum suorum, ut dicit Josephus Judæus, sed tantum dum ascensuri erant de terrâ istâ ad terram quam juraverat Abraham se illi & femini ejus daturum, ut remanentibus in Ægypto ossibus & cineribus Joseph, memoria ejus apud Ægyptios remaneret, & beneficiorum ejus, ut sic suavius tractarent filios Israël captivos suos inter ipsos commorantes. Atque ita vides quod ille Joseph antiquus etiam mortuus suorum fuerit protectio & scutum.

Transferti hæc ad Divum Josephum XIV. nullus verè pius averfabitur. Si ergo tantum soli cineres prioris illius Josephi potuerunt, idque apud impios, ut instar aggeris essent, ne filii Israël ab Ægyptiis opprimerentur; quantum apud Deum Clementissimum poterit Josephi Patris sui longè dilectissimi pro nobis intercessio & Patrocinium? quàm ab hostium nostrorum severità securi erimus sub Divi Josephi umbrâ? qui non nudos cineres pro nobis obijciat, sed ingentia merita, singularem sanctitatem, multos labores ob Christum exantlatos.

Joseph ille antiquus tantum prodesse vel mortuus, putabatur, quia XV. Ægyptum nutrierat suâque providentiâ ac solertiâ fecerat, ne fame periret: at noster Josephus ipsum mundi conditorem pavit, pavit per tot annos, pavit de labore manuum suarum, pavit de sudore vultus sui, cur ergo apud eum factus hominum Patronus non obtineat quidquid pro illis postulaverit? quid illi ille negabit, si ipse illa producat quæ in Christum præstitit?

Ludovicus XI. Galliarum Rex, Caroli VII. filius & hæres apud Burgundia Ducem in Belgio postera ætate diversatus; ubi audivit Patrem suum cessisse fati, nihil cunctatus ad propria repedavit stipatus multo agmine nobilium, immo & ipso suo hospite Duce Burgundo, qui ejus adfuit in Regem inaugurationi. Mysteriis ritè peractis adsistere Principes epulis instructis apparatus congruo: sub finem convivii stupente universâ procerum coronâ

coronâ surrexit Philippus Dux Burgundus, & humili corporis habitu quasi supplicabundus Regem sic affatus est: si quid merui ô Rex: eo ævo toto quod egisti in Belgio, ubi hospitii obsequia præstiti quæ potui; in gratiam exhibiti famulatus enixè rogo, ut excidant animo tuo acceptæ à subditis tuis injuriæ, qui si adeò injurii extiterunt ut procul à venia sint, da mihi Rex hospiti tuo gratiam cujus eos impotes fecerunt crimina perpetrata: Rex etsi orationis hujus exordio dubius audierit hospitem suum reis providentem, dedit tamen manus memor beneficii accepti, & irritam voluit esse vindictam eam quam animo conceperat.

XVII.

Pluribus annis Christus diversatus est apud Divum Iosephum, & quanto gratius quam Ludovicus Princeps extorris apud Dacem Burgundum: Dux Burgundus satis invitus, & agrè Ludovico refugæ fuit obsecutus, animadvertens Regem Gallum Carolum VII. iniquo animo ferre filii sui indolem peregrinam: Tamen illud quod præstitit Ludovico fronte tenus obsequium, ita menti hospitis insedit, ut animo versantem præteritas injurias perculerit ad veniam dandam immeritis. Si ergo exoratus Divus Iosephus à famulis & clientibus suis Christum Regem compellat in gratiam illorum, poteritne Christus memor multiplicis obsequii hospitem hunc non dignari gratiis exoratis?

XVIII.

4. Reg. cap. 13. dixit Elisæus ad Joas Regem, *Affer arcum & sagittas & pone manum tuam super arcum*, quo à Joa factio superposuit Elisæus manus suas manibus regis, & cum tres sagittas emisisset, & quiescisset Joas, ait ei Elisæus, *ter percussis Syriam, & si plures sagittas emisisses, pluries percussisses*. Quid proportionis obsecro habet tres sagittas jacere in Syriam ut eas ter percussat & vincat? Ex se profectò nullam, sed quia manus Prophetæ manui istius Regis juncta erat, ibique aderat, propterea eam vincere potuit ter in tribus sagittis, & de facto vicit. Sic opus tuum ex se, ut assequaris victoriam inimicorum tuorum, ut rapias Regnum Cælorum, quod vim patitur, nullum est, sed junctâ manu Sancti

Iosephi manui tuæ, juncto ipsius auxilio & ope operi tuo, nihil est quod non poteris & efficies.

CAPUT II.

Idem aliis iterum fulcitur rationibus.

POTESTAS Patrocini Divi Iosephi fundatur præterea in jure particulari, & particulariter ei competenti in salutem, quam Christus operatus est, idque multiplici titulo.

Et primo quidem, quia sub ipsius umbrâ mysterium Incarnationis, seu Christus Dominus Salvator venit in mundum & latuit, sicque dæmon ludificatus, supplantatus est. Pro cujus rei intelligentiâ dicunt Sancti Patres, quod quemadmodum dæmon in paradiso terrestri hominem sub suâ potestate redegerat per fraudem, nullatenus vim ejus libertati inferendo: sic Deus ut eundem hominem liberaret, & prædam, quam ille subdole & fraudulenter rapuerat, è manibus ejus congruè eriperet, noluit uti potestate suâ ut dæmoni vim inferret, sed magis expedire judicavit veteratoris dolosâ fraude eludere & elidere. Quapropter quemadmodum dæmon insidiosè abdiderat se sub serpente ut hominem seduceret, sic Deus ut jus suum revindicaret dæmonem seductorem circumvenire voluit occultando se sub homine.

Divinitas ergo, inquit Sanctus Gregorius Nazianz. hamus fuit quo dæmon fataliter capiendus erat & expoliandus: sed necesse erat hamum istum abscondere: eâ propter primò Deus fit homo: Secundò, nascitur de muliere ut homines ceteri: Tertio, nihil præ se fert Divinitatis: Ecce hamum ter absconditum: sed an sufficienter? Non, inquit Divus Augustinus, quia cum mulier illa ex quâ natus est, futura esset Virgo in partu & post partum ut ante partum, dæmon statim subodorasset subesse ibi mysterium, ideòque quartum velum fuit necessarium: quodnam verò illud? Divus Iosephus

Iosephus: hic enim factus Coniux Matris dum eum concepit, dæmoni aliis intento omnimodè hoc divinum eripit arcanum, efficit enim ut dæmon dum de uxore videt natum non putet de Virgine generatum, inquit Sanctus Martyr Ignatius apud D. Hieronymum in cap. 1. Matthæi.

IV. Cùm ergò Divus Iosephus eò usque Divino Incarnationis Dominicæ mysterio, quod est fons totius salutis, admotus sit & cooperatus: cùm mysterium hoc dæmoni operiendo, fontem hunc gratiæ perennem aperuerit, quis poterit ut ille ex eo fonte & pro se tam copiosè haurire, & aliis tam largiter communicare?

V. Secundò jus istud particulare Divi Iosephi in salutem quam operatus est Christus Dominus, ei competit, ex eo quod sanguis Christi, per cuius effusionem salus perfecta est, ex eius sudoribus quodammodo coagmentatus sit.

VI. Narrat Sanctus Vincentius Ferrerius Conc. 5. in Dominic. Septuagesimæ, Constantinopoli magnificum Templum impensis Divitum ædificatum fuisse: cùmque eò perfectò, dedicationis eius ritus peragerentur, subito in eminentiori loco Templi supra portam hanc inscriptionem litteris aureis exaratam subito apparuisse *Sophiam fecit*. Mirantibus omnibus rei novitatem, quænam esset illa Sophia exquiritur: Inventam tandem mulierem pauperula, cui tale nomen erat: interrogatur quidnam ipsa in Templi istius fabricam contulisset: Nihil, inquit illa, nisi quod cùm boves ex vecturâ lapidum, cœmenti & lignorum, defatigati essent & famelici: ego nihil aliud valens fasciculos fœni eis porrigebam, ut refocillati materiam pro Templo vehere possent. Quid nobis ex hoc? Audi, cùm ædificandum esset Templum Corporis Christi, de quo ipse Ioannis cap. 2. vers. 19. *Solvite Templum hoc, & in triduo reedificabo illud: hoc autem dicebat de Templo corporis sui*. Patriarchæ, Reges, Sacerdotes, quos in Genealogiâ Salvatoris Divus recensuit Matthæus, impensas ex sanguine suo contulerunt: Iosephus solum fecundæ Mariæ ex cuius sanguine perficien-

dum erat sacrum illud Templum alimenta præbuit: nonne ergo sicut Sophia illa Templi Constantinopolitani ædificatrix præ divitibus à Deo denuntiata est; ita Divus Iosephus istius, hoc est Corporis Christi ædificator, & consequenter salutis humanæ per illud sacrum Corpus perficiendæ Cooperator dici meruit.

Quod si salutis humanæ Cooperator dici meruit ex hoc quod alimenta præbuit Mariæ, ex cuius sanguine constructum est Corpus Christi, quantum magis ex eo quod ipsimet Christo alimenta præbuerit, sicque ex sudoribus D. Iosephi Sanguis Christi, qui pro salute hominum effusus est, concretus sit?

VII. Sanctus Ildephonus Archiepiscopus Toletanus post Divum Augustinum serm. de Assumpt. meditatur, quod quando intemerata Virgo uberibus labris pusionis sui IESU ingerebat, actualiter cogitabat & intendebat venas ejus tunc implere eo sanguine, quem aliquando pro hominibus effusus erat in Ara Crucis: ex quo Theologi aliqui apud Patrem Salazar lib. de Immacul. Concept. cap. 4. circa med. inferunt quod ipsa per hoc habuit partem in remedio Passionis & Redemptionis quæ per istius effusionem sanguinis impleta est: Cur ergo idem cum aliquâ proportionem dicere non possim de Divo Iosepho ipsum nutriende ex laboribus & sudoribus suis? in hoc, inquam, respexisse & intendisse dum ei cibum & potum de suis sudoribus comparatum ministraret, ut venas ejus eo cruore quem pro nobis in passione sua effusus erat repletet, ac consequenter habere partem, &c.

VIII. Tertio, Divo Iosepho competit jus particulare in salutem quam Christus operatus est per mortem suam in Cruce obitam: quia Christo præstitit ut eam ibi perficere posset. Etenim quamvis certum sit unicam Cruoris Christi stillam, fuisse plusquam sufficientem ad salutem multitudinis centies millies majoris, quàm sit numerus omnium hominum & Angelorum simul, ratione valoris infiniti istius cruoris, uti cruoris Personæ Divinæ & infinitæ: atque adeò certum sit etiam, quod in Circumcisione, quam Divus Iosephus

VII.

VIII.

IX.

Iosephus ex Paternâ exercuit auctoritate plus effuderit quàm necesse erat pro nostrâ Redemptione consummandâ: Nihilominus dicendum etiam cum omni certitudine & firmitate, quod per istam effusionem non fuerit consummata, quia eam Deus morti in Cruce subeundâ affixerat. Ratio hujus est voluntas Dei quam Christus accepit, *Factus ei obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, ad Philipp. cap. 2. Delens quod adversum nos erat chirographum Decreti, & affigens illud Cruci, expolians Principatus & Potestates, palam triumphans illos in semetipso, ad Colossens. c. 2.*

X. Porro ita voluit Deus, quia non minus indigebamus vitâ Christi, quam ejus morte: vitâ ad nostrum exemplum & documentum, & hoc utrumque ad morum nostrorum ædificationem: morte ad Redemptionem & debiti exsolutionem: tandem morte crudelissimâ & turpissimâ, qualis est mors Crucis, ad peccatorum terrorem, ut apud se cogitent serid, si Deus hæc in viridi fecit quid faciet in arido? si istam satisfactionem pro peccato reposcit ex filio unice dilecto, qui illud non commiserat, sed tantum in se ut fidejussor susceperat, quam reposcet ex Reo Rebelli & invito, nisi iram ejus per salutarem prævenit penitentiam?

IX. Atq; nemo est qui non sciat primò, Herodem tyrannum voluisse, & dirisimè tentasse Christum Dominum in ipsis cunis extinguere: hoc testatur mors crudelis tot millium innocentium, ut ipse evadere non posset. Secundò, nemo est etiam qui non sciat Divum Iosephum eum ipsi eripuisse, Cælo hoc per eum volente, cum ergo Christum ab hac morte intempestivâ liberaverit, ut ad eam illum servaret, cui Deus salutem nostram appenderat, nonne evidenter sequitur quod ei debitores sumus, & istius vitæ preciosæ, à quâ instructionem & mortis necessitatē à quâ copiosam habuimus Redemptionem: Atque ita cum eo usque fuerit protector Salvatoris, protector quoque salvationum Christi sui dicendus est, & consequenter protector omnium salvandorum.

Quartus & ultimus titulus juris particularis competentis Divo Iosepho in salutem, quam Christus Filius ejus operatus est, in eo consistit quod ipse Salvatorem auctoritate ut ita dicam ordinariâ ut Pater, & extraordinariâ, per commissionem ei desuper commissam & traditam, adjudicavit & addixit morti illi, cui nostra erat affixa salus: pro cujus intelligentiâ supponendæ sunt tres veritates infalibiles & certissimæ.

Prima, quod cum Divus Iosephus esset factus Pater Christi Domini, modo à nobis explicato Part. 2. Tract. 2. Deus consequenter ut id manifestum faceret, jus suum ei servans, per Angelum ad eum expressè destinatum ei significavit, ut eidem Christo Domino nomen imponeret, declarando illud nomen quod ipsi volebat imponi: patet hoc ex Matth. cap. 1. vers. 20. & vers. 21. *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen ejus IESVM.*

Secunda veritas quam suppono, est quod Deus istam illi committendo Provinciam, simul ei indicavit illius nominis imponendi significationem & energiam, in his verbis: *Ipsè enim salvum facies populum suum à peccatis eorum: quæ præcedentibus assuit.*

Tertia veritas quam suppono, est quod tunc etiam intellexerit Divus Iosephus quomodo Christus erat salvaturus populum suum à peccatis eorum, nimirum per mortem suam, & hanc non aliam quàm Crucis, juxta Dei Decretum ei compertum ex scripturis apertissimis, in quibus non potuit esse peregrinus Vir tantus, ab utero Matris cælesti lumine perfusus.

Ex quibus infero quod Divus Iosephus his cognitionibus præditus, quando Christo, suo aternique Patris filio, istud nomen IESUS dedit, dedit utique ut pronuncians in eum Decretum Patris Aeterni, ut pronuncians, inquam, in eum sententiam, & adjudicans illum morti Crucis, ad quam in hunc mundum venerat, & à Patre Aeterno destinatus erat pro hominum salute:

XII.

XIII.

XIV.

XV.

XVI.

Magnalium
D.
Iosephi
synopsis

salute: ita quod & tunc Pater Christi, in quem ut talis habebat jus paternum & ut Interpres Patris Aeterni, utensque simultaneè potestate quam ei dabat in illum & qualitas Patris, & actualis commissio Dei, prævenerit Decretum Pilati: quare consequenter, & ex hoc intuitu, eo ipso tempore quo in eum istam mortis sententiam proferebat, imponendo ei illud, tulisset. Quid ad hæc dicemus?

XVII. Mirantur omnes, & merito certe Abraham Patrem fidei eo usque dispositum sacrificare ex voluntate Dei prædilectum in visceribus filium suum Isaacum, ut non tantum gladium suum exemerit, sed etiam levarit jam jam eo icturus ipsum, nisi Angelus eum stitisset. Sed quam mirabilior Divus Iosephus Pater Salvatoris, qui non tantum cultrum eduxit, & manum ad feriendum extendit, sed etiam de facto ferivit, licet non amplius quam Deus tunc volebat: Certè tantò mirabilior, quantò illi charior Filius suus, & Deus, suus simul, ex sponsâ suâ à Spiritu sancto sibi productus, quam Abrahamo Isaacus. Vide à nobis dicta de hoc Divi Iosephi amore supra Part. 2. Tract. 2. cap. 21. & cap. 25.

XVIII. Cæterum qualia sunt ista quæ hæcenus diximus: quanti isti tituli juris Divi Iosephi in salutem à Christo filio suo operatam? possetne aliquid amplius dici ad manifestandam potestatem quam habet in Sanguinè & Christi mortem? Cùm ergo patrocinium Sanctorum apud Deum à nobis exquiratur in ordine ad salutem, quis non videat Divi Iosephi, patrocinium eum in finem esse omnium potentissimum?

CAPUT III.

Patrocinium Divi Iosephi omnium certissimum.

VT certum dici possit patroni cuiusvis patrocinium, duo omnino requiruntur: Primum respicit eum apud quem patrocinandum est: Secundum respicit eum pro quo patrocinandum.

Itaque primum quod requiritur in patrocinante & mediatore ad certitudinem patrocinii est potestas seu auctoritas apud eum, apud quem patrocinari debet, seu à quo gratia, vel beneficium obtinendum est: Secundum quod eum respicit pro quo patrocinandum; est voluntas benè affecta & prona in eum qui ejus implorat Patrocinium: posset enim facile fieri, ut in aliquo esset satis potestatis ad beneficium à Principe obtinendum, pro eo qui suum implorat patrocinium, & non esset voluntas: & è contra, quodcumque horum duorum desideretur in Patrono, irritus erit supplicabundi recursus ad ipsum: si enim ille quem rogas tibi esse Patronum, habeat voluntatem tibi benè affectam, & non habeat auctoritatem apud eum, à quo beneficium quod exquiris obtinendum est, quid obtinebit? si verò non habeat pro te voluntatem istam, quid imploras nunquam pro te rogaturum? Utrumque ergo requiritur in Patrono, ut certò tibi promittere possis per ipsum gratiam seu beneficium ad quod anhelas.

Tertium addo quod etiam confert plurimum ad reddendum Patrocinium certum: In hæc Classe sunt media quæ impendit Patrocians seu mediator apud potentem, ut eum efficacius moveat, & flectat ad concessionem rei desideratæ ad favorem Clientis pro quo intercedit: & hæc respiciunt ipsam patrocinationem seu actum ipsum patrocinandi. Certum est quippe quo hæc fortiora fuerint eò certiore futuram beneficii exorationem.

Cccc

Quare

Synopsis

Magnalium
D.
Josephi
S. J.

IV. Quare ut manifestum fiat id quod in argumento proposuimus, patrocini-um scilicet Divi Josephi pro nobis apud Deum esse omnium certissimum, oportet ostendere hæc tria in ipso concurrere in summo. Quod factum imus.

V. Ac primò quidem quod spectat potestatem ejus, & auctoritatem apud Deum summam, res hæc acta est duobus capitibus præcedentibus, ut nihil hic supersit quod ibi dictis addamus, sufficiatque breviter reperere quod ut Pharao Josepho antiquo Ægypti Pro-Regi, sic Deus Divo Josepho Protopatrons nostro annulum suum signatorium consignavit, ut eo supplicas omnes sibi porrectas pro beneplacito obfirmare possit: Ita quod cum alii Sancti deprecando tantum, hic solus inter omnes quasi autoritative Clientibus suis faveat, eosque in omnibus necessitatibus juvet: Et ratio est quia ut ipse est Pater Jesu, ita Jesus respicit eum ut Patrem suum, sequè ut ipsius filium, cujus faciem non potest avertere: atque adèò quando ab eo aliquid petit, tam certò petitionis suæ effectum videt, ac ille qui imperat personæ omnium totius mundi obsequentissima.

VI. Quod spectat secundò ejus in nos benevolentiam: certum est ejus in nos affectum esse pronissimum, & talem, ut nullus ei similis exceptâ semper Deiparâ Virgine Mariâ. Constat hoc primò, ex eo quod nobis, ut ita loquar, debitor sit de suâ Paternitate ad Jesum quam tanti facit, ex quo ipsa sit fons omnium magnalium suorum: Vide à nobis dicta Tract. præc. cap. 8. sect. 3. num. 30. 31. & 32.

VII. Secundò, quia cum sit Pater Filii Dei, qui ex quo factus est homo factus est frater noster, ut loquitur Apostolus ad Rom. cap. 8. vers. 29. est ipse consequenter, & verè dici potest Pater noster, quo eum nomine vocitare solebat Sancta ac Seraphica Mater Theresia, ut patet ex ejus scriptis: sicut enim Beatissima Virgo, quia est Mater Christi, ob istam ejusdem Christi nobiscum fraternitatem, est etiam & dicitur Mater nostra, nosque filij ejus. Ita Divus Josephus ejus Spon-

sus, cum sit Pater Jesu, ob eandem rationem est & Pater noster.

Sit igitur ille Sanctus Fundator Ordinis tui, sit iste Patronus Urbis vel Patriæ tuæ, sit hic ejusdem tecum Ordinis, stirpis, familiæ, domus, quid sunt isti nexus in ordine ad benevolentiam & certitudinem Patrociniij impendendi, si conferantur cum illo Sancti Josephi qui fundatur in Christo omnium bonorum & salutis fonte? ergo ipsius apud eundem Christum Patrociniuum supra omnia certissimum.

Tertiò, denique cum ob istam rationem nos plus cæteris Sanctis amet, aliundè verò filium suum plus quam omnes alij Sancti diligat, ut diximus supra, & propterea plus omnibus illis zelet ejus honorem, qui pendet ex salute nostrâ, non potest fieri, quin duabus istis facibus accensus, amore, inquam, nostri tanto, & zelo gloriæ filij sui summo, totus ardeat in salutem nostram: Quàm certum ergo ex hoc capite ejus pro nobis futurum Patrociniuum?

Certissimum ultimò præ cæteris Divi Josephi Patrociniuum ratione mediocrius fortiorum, quæ impendit ad flectendum Omnipotentem in causam Clientum suorum pro quibus intercedit: quam in rem non adduco cumulum omnium meritorum ejus, in quibus quantum quæso superat omnes alios Sanctos? loquor tantum de laboribus ejus, quos proalendo Christo per triginta annos subivit, quibus eum in sua propriâ personâ juvit & ita sibi devinxit, ut quoties voluerit, eum in suam pertrahat causam. Ostendit ergo filio suo pro nobis intercedens callos, & manus aspera, ut Maria peccus & ubera, filius Patri latus & vulnera, & quomodo poterit esse repulsa ubi tot concurrunt amoris insignia?

Igitur si consurgant venti tentationum, si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si æmulationis: si iracundiæ, aut avaritiæ, aut carnis illecebræ naviculam concusserit mentis: si criminum immanitate turbatus, conscientie sceditate confusus, Judicis horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abyssis.

Vade

Vade ad Divum Josephum, & bono animo esto ac certissime confide, evasiffe te naufragium, non deerit tibi in tribulatione: ostendens enim filio suo & Matri callos & manus aspera, Mater filio peccata & ubera, filius Patri latus & vulnera, quomodo poterit esse repulsa ubi tot concurrent amoris insignia?

CAPUT IV.

Patrocinium Divi Josephi omnium universalissimum.

I. **D**UPLEX est differentia inter Mariam & Iosephum hoc sacrum par Conjugum, & ceteros Sanctos quoad hanc Patrocinii circumstantiam. Prima, est quod ex his aliqui habeant sub protectione sua particulari certas aliquas personas, alii hanc vel illam Familiam seu Ordinem, alii hanc vel illam Civitatem, alii hanc vel illam Provinciam, alii hoc vel istud Regnum, ita ut extra illa vix cognoscantur, vel saltem invocentur. At D. Iosephus & sancta Deipara omnes aequaliter complectuntur homines & nationes ab omnibus aequaliter linguis invocatur, nec est qui se abscodat a calore hujus vel istius.

II. Secunda est quod ut observavit Angelicus Doctor D. Thomas in quartum Sentent. dist. 45. quest. 3. art. 2. apud Carthaginam & Marchantium adhuc supraadductos: *Quibusdam Sanctis datum est in aliquibus precipue causis patrocinari, ut Sancto Antonio ad ignem, Sancto Apollonie ad dolorem dentium, Sancto Rocho ad pestem & sic de aliis. At Divo Iosepho concessum est aequaliter in omnibus omnes ad se confugientes posse juvare.* Idem docet Sancta ac Seraphica Mater Theresia, l. vitæ suæ cap. 6. vide infra cap. 6. sect. 2. num. 10.

III. Ratio hujus disparitatis sumitur ex eo quod communiter docent Theologi & SS. Patres, quod scilicet quemadmodum Sancti omnes fuerunt limitati in meritis, & ita inter se diversi, ut non inveniatur duo qui sint in omnibus similes, sic quandoquidem gloria & potestas quæ perfruuntur in Cælis, commensuretur eorum meritis in

terris, oportet etiam esse diversitatem inter illos in gloria & potestate, quæ fundatur in illis: juxta istud Ecclesiastici cap. 44. *Non est inventus similis illi in gloria*, & ideo non est mirum si sint limitati & determinati ad certas personas, & ad certa negotia: sed quoad Divum Josephum & Sanctam Deiparam, sicut ipsi habuerunt existentes in terris plenitudinem gratiæ illorum Sanctorum, ita etiam regnantes in Cælis, sunt à Deo constituti in plenitudine potestatis & virtutis omnium: ut possint quicquid hic, quicquid iste, quicquid ille, & adhuc amplius, quia possunt quicquid omnes & singuli.

IV. Igitur Patrocinium Divi Josephi tertio & ultimo in hoc iterum superat Patrocinium aliorum Sanctorum, quod sit universalius quocumque Patrocinio illorum: idque duobus modis: Primo, quia extendit se ad plures personas: Secundo, quia ad plures causas, ad plura negotia.

V. Quoad primum patet, quia alii Sancti aliquorum tantum, hic omnium in se causam suscipit: Hinc ipse non Imperio tantum aut in Europâ nostrâ super omnes etiam celebriores celebris, sed omnes quotquot sub utroque Polo degunt Fideles, ut Sponsæ ejus, ita illius Clientelam zelosissime hodie affectant. Hinc Apostoli novæ Franciæ Missionum suarum fructum & successum illi se debere fatentur, patris ibi innumeris ipsius nomine invocato miraculis. Hinc in Oriente nomen ejus ubique adeo celebre. Hinc in Americâ Urbes & Regiones integræ relictis antiquis suis nominibus, ab ipso appellationem novam, cum novâ Religione novisque moribus, sortitæ: ut scribunt illi qui ex istis plagis ad nos remeaverunt.

VI. Quoad secundum, quod scilicet Patrocinium Divi Josephi universalius sit quocumque Patrocinio aliorum Sanctorum quoad causas & negotia ad quæ se extendit, patet etiam evidentissime: quia hi in hæc, isti in istâ, illi in illâ materiâ precipue suis suffragantur Clientibus, Divus Josephus verò in omnibus aequaliter sine exceptione aut limitatione. Res hæc clarissima est in esse.

Synopsis

Magnalium
D.
Iosephi
syn
ops

effectibus & miraculis, quæ Deus ad illius invocationem ubique gentium in favorem Clientum suorum ad eum piè & fiducialiter recurrentium operatus est, & passim leguntur apud probatæ fidei Authores: quæ proinde hîc coacervare esset supervacaneum, si tamen fieri posset, quod non crederim, quis enim eorum numerus? & quis omnes libros habet? aut omnia quæ in dies ubique gentium fiunt & facta sunt novisse potest? quot denique facta sunt quæ non sunt scripta? aut quæ etiam tacita sunt à malè vercundis? vel silentio obruta ab ingratis?

VII. Itaque hîc non singula generum referam, sed solum genera singulorum delibabo, ex quibus Lector Cordatus, sentiet sibi satisfactum & se fatebitur de hâc veritate abundè convictum. Et primò quidem cum anima potior sit quàm corpus, & in favoribus corporalibus Sancti principaliter respiciant ad bonum animæ, ideò primò de favoribus qui respiciunt animam, & deinde de illis qui respiciunt corpus.

VIII. Pro animâ, primò de ipsius auxilio pro spiritualibus & signanter pro conversione eorum qui erant in statu peccati: Secundò, de auxilio per ipsum præstito contra tentationes & pericula cadendi in peccatum. Tertio, de ipsius auxilio pro acquirendis virtutibus & perfectione. Pro corpore, de miraculis exterioribus & corporalibus ex omni genere aliqua ordinatè per Classes.

CAPUT V.

Patrocinium Divi Iosephi in spiritualibus & signanter in conversione eorum qui erant in statu peccati.

I. **P**ECCATUM mortale ideò dicitur mortale, quia est mors spiritualis animæ: privat enim ipsam Deo seu gratiâ ejus, quæ est vita illius spiritualis: peccata verò venialia imperfectiones

mali habitus, passiones indomitæ, vocantur à nobis, & revera sunt tantum infirmitates, seu morbi spirituales animæ, quia stare possunt, & stant de facto cum gratiâ Dei: periculosi sunt tamen, quia ut morbi corporales aliàs curabiles, si negligantur, fiunt sæpè mortales, ita & peccata venialia, & mali habitus, & passiones neglectæ, morrem animæ adducunt: contra utrumque efficacissimum esse Divi Iosephi patrocinium, licet constet ex rationibus in præcedentibus tactis, id ipsum tamen probemus adhuc exemplis, seu ab effectibus.

SECTIO PRIMA.

Patrocinium Divi Iosephi in conversione eorum qui erant in peccato mortali.

Liberari à peccato mortali quantum sit favor, quis benè estimare aut explicare poterit? impossibile est nisi ab eo qui benè expenderit, quam sit ille miser qui est in peccato mortali invisus Deo.

Porrò ut hoc benè percipiatur tria potissimum expendenda sunt: Primum, quid sit peccatum mortale? Secundum, quæ pœna ei debita? scilicet æterna, & quàm illa justa? Tertium, quam lubrica vita à quâ pendet ista Æternitas?

Pro primo: Notandum Deum habere in hominem duplex dominium, proprietatis unum, jurisdictionis alterum: Primum ei competit ex hoc quod eum sicut cætera creavit: quid enim magis propriū alicui quàm opus suum opifici, si ab illo ut ars, ita sit & materies? ac deinde ex hoc quod illum indefinenter influendo conservet, *In ipso enim vivimus, movemur & sumus*, inquebat Athenis Apostolus, Act. cap. 17. vers. 28. *Neque enim sicut structuram ædium cum fabricaverit quis abscedit, atque illo cessante & abscedente stat opus ejus, ita mundus vel icu oculi stare poterit, si Deus ei regimen sui subtraxerit*, inquit D. Augustinus lib.

lib. de Genes. ad litt. cap. 12.

- V. Ex hoc primo Dominio connexionis omnino necessariâ sequitur secundum respectu hominis ut & Angelorum, cujus illi soli sunt capaces, quod est Dominium Jurisdictionis. Ex hoc enim quod fecerit illos Deus compotes rationis, sequitur quod possit eis præcipere, vel vetare quæcumque voluerit, & quod illi teneantur ei obedire; ac si abnuant supplicia, vel si annuant præmia irrogare.
- VI. Quæ cum ita sint, quæ ergo pervicacia, ei cujus es totus, cui quidquid es debes, & qui sibi jus facere potest in promptu, obedientiam denegare? Sed quæ injuria? quæ contumelia, illum qui summum bonum est, cujus possessio tibi si obedieris repromissa est: *Ero merces tua magna nimis*, Genes. cap. 15. vet. 1. ita contemnere, ut quasi bonitas vilis creaturæ plus esset & valeret, hanc illi præferas? & hoc in ipsius oculis, in ejus sinu, & brachiis, cum sit ubique præsens? quin ita proculcatâ Dei reverentiâ, pro facinus! ut facultates tuas, membra, sensus omnes ab ipso tibi donatos, in illum armes, illorum ministerio in ipsum pugnes, & invitam, ut ita loquar, Dei manum inexplicabili insolentiâ trahas in scelestuum, & applices actionibus quibus peccatum implicatum est, ac sanctitati infinitæ, quantum in te est, irroges societatem culpæ, insigni illius ludibrio? quid atrocius tali scelere? quid sceleratius tali attentato? & interim ludis, jocularis, tides, dormis, ac si vel Deus nihil in te auderet, vel nihil posset, vel nihil mali egisses: ubi est mens tua?
- VII. Si quispiam modo Regiam ingrederetur, Regemque ipsum districto gladio impeteret eum interfector, sed Rex de manibus ejus ereptus esset ne quidquam mali passus, quid diceres si post tantum facinus nihil hic homo curaret, non fugeret, non se absconderet, sed per mediam Regiam securus obambulet? nonne hunc insanum crederes? audi ergo & cognosce peccator insane insaniam tuam, qui tamen sapiens es in oculis tuis, quid te egisse putas quando peccasti? nihil te putas fecisse? Deum conatus es occi-

dere, & in te occidisti, & quantum est in te interemisti. Quomodo hoc? audi, creaturam plus dilexisti quam Deum, eam ipsi prætulisti, eam tibi reputasti majus bonum quam Deum, quem pro ipsâ sprexisti ei dedisti in corde tuo locum primum, eam fecisti Deum tuum: & cum duo Dii esse non possint, quantum in te fuit eam Deum tuum constituens, Deo abstulisti divinitatem & vitam: Deus tamen adhuc vivus perseverat, non ei nocuisti: & nihil times? & securus es? ô stultè! ô insane!

Quæ verò sit futura poena talis attentati (quod est secundum expendendum) nonne, ex tuâ ipsiusmet ratione, summa? sed summa tripliciter: summa poena damni, summa poena sensus, summa utriusque duratio: omni bono privatur justè qui Deum summum bonum ita insolenter contempnit: Sub omni malo gemit, & in eum omnis creatura justè armatur qui ita in communem creatorem protervus esse ausus est. Sed quid horribilius in iis, quam ipsorum interminata Æternitas roties Scripturæ Sanctæ verbis, miraculis, Angelorum, demonum, animarum apparitionibus inculcata?

Finge ergo tibi quantavis sæculorum revolutiones, extende intellectum quam longissimè potes, numeros complica, replica, multiplica, & quidquid Arithmetica concipere potest congere: postquam numeros omnes sæculorum consumpseris, adhuc supererit dimetienda tota Æternitas, & etiam postquam ista toties complicata, replicata, multiplicata ter centies millies triplicaveris, O Æternitas nunquam, nunquam consumenda!

Quam horribilis est ista poena, sed quam justa! Audi Divum Augustinum Epist. 49. ad quæstion. 4. ubi hæc habet: *Quia æternum voluit habere peccati perfruitionem, æternam inveniat vindictæ severitatem.* Quomodo hoc inquires? voluit peccator si non expressè & explicitè, inquit Theologi, saltem implicitè & interpretativè; seu sic egit, ac si vellet æternum peccare: nam qui momentaneâ libidine ocu-

lorum aut carnis, aut vindictæ, aut famæ & honoris, usque ad patrandum crimen se tradidit, multo magis ejusmodi libidinem desideraturus erat si æterna fuisset: merito igitur æternum punitur qui æternum peccare voluit: Ita ferè D. Thomas 3. contra Gentes cap. 144. cui Doctrinæ consonant verba D. Gregorii Magni lib. 34. Moral. cap. 16. *Voluissent utique peccatores, inquit, sine fine vivere, ut potuissent sine fine in iniquitatibus permanere. Ad districti ergo iudicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato, & nulla debetur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis.*

XI. Rectissime igitur ad eam cogitationem intendens Beatus Francus Senensis Ordinis nostri Laicus pronuntiabat tam horribilem esse damnationem, ut quamvis ex tantâ hominum omnium temporum, omniumque locorum multitudine, unicus tantum esset damnandus, omnes tamen merito sibi deberent mettere, ne forte ipse esset miser & infortunatus ille: quid ergo nunc quando audivimus de ore Dei? *Multi sunt vocati pauci verò electi.*

XII. Jam verò quam lubrica est vita à quâ pendet ista Æternitas! quod est tertium expendendum, ut quam miser sit ille qui est in peccato mortali percipiatur. Consideremus hominem per asperissimum quendam clivum præcipitari, in cuius imo sit fovea Leonibus plena famelicis & ad hanc escam anhelis: in ipso tamen præcipitio herbulam quandam arripuisse, à quâ retinetur quasi suspensus, quam mus arrodit, & quâ fractâ miser ille ruet devorandus: quam miser ille! & quamquam quæso illius hic angustia? Sed ò quam status peccatoris est horribilius præcipitium à cuius exitu est Inferni pelagus, igne plenum terribili, utpote cui datum est urere, & negatum absumere: quem demones avidi ore hiante expectant ad prædam, nec quidquam impedit quin absorbeat nisi modicum vitæ huius cui adhæret. Sed qualis vitæ? vitæ, aut fragili herbæ similis. Testantur tam multi, quos tam frequenter, & tot modis vidimus,

& viderunt alii subito & ferè in istu oculi mori.

Quam multis contigit quod Soli: XII. Sol in suo circulo pergens, spatium illud peragit longissimo tempore nimirum trecentis sexaginta quinque diebus & sex horis. Sed ille idem cursum suum ab Oriente in Occidentem motu raptus, quo à primo mobili rapitur, uno die absolvit: nos cœci metimur vitam nostram juxta cursum quasi naturalem qui est septuaginta vel circiter annorum juxta Prophetam psalm. 89. versu 10. & 11. *Dies vita nostra septuaginta anni, si autem in potentibus octoginta & amplius eorum labor & dolor.* Nec attendimus ad motum raptus, quò sæpè violenter & in momento abripimur: Juvenes cogitant se diu posse vivere, & non cogitant se posse cito mori: attendunt ad proprium & naturalem Solis cursum, qui facit annum, non ad violentum qui facit diem tantum.

Ex his aliquo modo colligere licet, XIV. quàm sit miser ille qui est in statu peccati mortalis: quare cum peccator eo nunquam emergerè possit, nisi Deus der, cum cum sibi exosum fecerit per peccatum, collige quanti faciendum sit Patrocinium Divi Iosephi, quod tantæ efficacis est maxime in hoc genere, ob jus illud particulare, quod habet in salutem à Christo filio suo operatam. De quo supra cap. 2. Exempla nunc istius Patrocinii proferamus.

XV. Viro cuidam perquam honesto filius erat valdè dissimilis, cuius dissoluti mores nihil mitius parentibus, quàm ingentes molestias: Familiæ, quam dedecus pollicebantur. Mater autem videns filium suum à suis cupiditatibus per devia vitiatorum abreptum, nullis cujusquam admonitionibus ad rectum callem posse reduci, tandem ad Sancti Iosephi recurrit auxilium, quod & invenit. Novemdiem assumit devotionem in ejus celebri Antverpiæ Sacello Facentino obsecundam: quâ expletâ continuo cepit ille perditus in alium hominem mutari, & inolitas pessimæ vitæ consuetudines, in pios castosque mores convertere: Et ut cepit ita continuavit, ac

ac deinceps defuncto Patre, Matri magno fuit solatio, professi uterque nullas satis magnas à se posse Divo Josepho referri gratias. Ita Omazurinus in libello Teutonico de Sancto Josepho, ejusque Antwerpiae cultu ibidem edito anno 1662. & alii.

XVI. Reverendus Pater Barri è Societate Jesu in Tractatu seu libello Gallico, de Devotione erga S. Josephum vulgato primum anno 1639. ac deinde sæpius recuso: Animabus, inquit, quas peccata à divinâ amicitia alienas, & æternæ damnationi obnoxias reddunt, auxiliatricem manum amat S. Josephus invocatus porrigere: Novi enim, inquit, quemdam Societatis nostræ Religiosum, qui aliquos amicos suos rogavit, secum ut novenam instituerent Sacrificiorum & Communionum ad honorem Sancti Josephi, eo sine ut Deus ob merita ejus propinquum suum Cognatum Sacris Ecclesiæ mysteriis addictum, ab inordinatâ vitæ revocaret licentiâ, in quâ quartum jam quintumve annum volutabatur, nullis cujusquam monitis ad sui status decorem revocabilis, ita dæmoni mancipatus erat: valuit pia Cognati sollicitudo perdito illi ad salutem: dum enim Sacrificia, Communiones, preces obeunt conjunctim rogati, ita ut noster optaverat, rogaverat, & speraverat: accidit: gravissimâ infirmitate lecto affixus est, qui vitiis suis immerfus eatenus assurgere noluerat: ut verò mortem sibi instantem vidit, extremis muniendus Sacramentis, concepit melioris vitæ desiderium; & ut propositum seriâ protestatione firmavit, convaluit sine morâ: atque decrevit deinceps se & sua omninò addicere unî divinæ gloriæ promovendæ, in negotio quodam quod tum temporis Parisiis maximi momenti agebatur, in quo etiam nunc ad finem optatum illud urgendo strenuè perseverat, intra modestiæ extremæ, suoque characteri congruæ terminos. Hæc mirabilis conversio, inquit P. Barri citatus, contigit Parisiis: accipe aliam quæ Lugduni.

XVII. Juvenis quidam honestæ conditionis, usque adeò deditus erat pietati, ut divino servitio se usque ad mortem

mancipare per ingressum in aliquam Religionem constitucrit: sed cum in hoc à parentibus aliud spectantibus præpeditum se vidit, ita paulatim à primo fervore, mox etiam à Dei timore deslexit, ut demùm in pudendæ barathrum libertatis præceps sit devolutus, assumens cum militari baltheo quidvis audenti patrandive fiduciam: afflixit ea res: uti debuit, parentes: non usque adeò Dei immemores, ut nullum de filii sui salute periclitante curam gererent: multiplicant epistolas quibus illum ad se revocent, allegant amicos, tentant omnia, sed in casum, furdo enim canebatur sâbula: Consilium ergo capiunt invocandi in auxilium S. Josephum omnium auxiliatorem, & vix cœperant, cum ecce intra triduum redit ad Patrem perditus ille, ut prodigus delictorum pœnitens, petitaque humillimè & obtentâ à parentibus suis ante actæ vitæ veniâ, morum emendationem magnâ illorum consolatione exhibet.

Idem Pater Barri ibidem Lugduni, XVIII. inquit, in Ecclesiâ nostrâ Sanctissimi Domini nostri Nutricio dicatâ, Tabella cernitur ex piæ mulieris voto appensa, quæ moderandis viri sui excessibus, aliud nullum remedium inveniens, pluribus frustra tentatis, Sancto Josepho maritorem omnium moderatissimo advolvitur: ei que se voto obstrinxit, nec inutiliter: hic enim viri ejus animum tam potenter immutavit, ut suæ deinceps uxori fidelis, nunquam amplius ad impudicæ vitæ consuetudinem redierit, notus antea publicus adulter.

Idem quoque Pater ibidem: Quæ XIX. dam persona, inquit, cum intellexisset me hunc librum (idest de devotione ad Sanctum Josephum) meditari, pro eâ quam in me habet fiduciâ, ingenuè per litteras fassa est, quod cum in materiâ gravi, & votum suum concernente, haud leviter deliquisset, inducere animum non potuerit ut peccatum confessione expiaret. Igitur ut hanc mali pudoris rebellionem vinceret, proposuisse ad dies novem hymnum cum oratione de Sancto Josepho recitare, quo facto expeditam se sensit ad peragendam debitâ cum integritate

omnium peccatorum suorum exomologesim: Ex indeque proposuit iugiter penes se habere aliquam ejus imaginem, etiam noctu adversus impura somnia quibus vexabatur, quod sibi mirabiliter profuisse profiteretur.

*Christus, & Virgo simul assistunt
Ore Sereno.*

ideoque non potest aliter fieri quin salutaris nobis futurus sit frequentissimus ad eum recursus pro impetranda per ipsius efficacissimam intercessione aliquâ istius gratiæ participatione.

SECTIO II.

Patrocinium Divi Josephi in morte.

XX. **C**um in hoc præcipue momento periclitentur homines, in agone certantes, tum quia tunc non est nobis *colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principatus & potestates, adversus mundi Rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in celestibus*: tum quia tunc agitur de summâ rerum omnium, ita quod in quamcumque partem ceciderit homo in eam manebit in æternum: Favor in hoc momento pro felici morte obtinendam præstitus, non tam affinis est præcedenti, quam illius finis, perfectio, & complementum: Quid enim nobis profuisset in vitâ à statu peccati aliquando Divi Josephi ope ad gratiam resurrexisse, si in fine contingeret vel à morte repentinâ in peccato præoccupari, vel in ipsâ morte tentatione fractos in peccatum proluere? ergo hic favor fuit ex congruentiâ præcedenti assuendus.

XXI. Communis est omnium Orthodoxorum sensus Sanctos cum Deo in Cælis regnantes, qui non tantum in charitate fundati & radicati, sed etiam consummati sunt, particulariter ferri, ut nobis à Deo earum gratiarum communicationem procurent, quibus à Deo specialissimè in terris gratificati sunt: At qui inter potiores gratias quas Divus à Deo recepit, Josephus, una è majoribus hæc fuit, quod ei morienti adstitit JESUS, quod inter ejus brachia expiravit, quod longè verius & proprius quàm Moyse in osculo Domini mortuus sit. Hinc de eo sic Ecclesiastici in Hymno ad Laudes,

*O nimis felix, nimis ô Beatus,
Cujus extremam, vigiles, ad ho-*

XXII. *Quare cum scire nequeamus quis dies futurus sit vitæ nostræ supremus, & cum nobis optemus absdubie scelicem, nullus nobis prætereat, in quo non ei preces aliquas, officium ejus parvum, Litanias, vel Rosarium, vel saltem hanc oratiunculam, Sancte Joseph Pater JESU ora pro nobis peccatoribus nunc & in horâ mortis nostræ, Amen, cum devotione & fiducia offeramus, ut ejus interventu præcipuum & ultimum istum divinæ misericordiæ effectum obtineamus, ut, inquam, morte moriamur justorum in gratiâ & amicitia Dei.*

XXIII. *Quam hoc utile sit & efficax experit sunt quam plurimi, inter quos Eques quidam Venetus, de quo Isidorus Solanus part. 4. cap. 10. & alii scribant solitum ante Divi Josephi imaginem preces exsolvere quotidianas: cum tamen aliunde vitam fatis dissolutam ageret: ægritudine lethali hic corripitur: ac dum medicina corpori magnâ sollicitudine præparatur, animi ægritudo longè periculosior negligitur: Morbo ingravescente, hortantur assistentes ut conscientiam suam confessione diluat, frustra tamen ob habitualis sceleris pertinaciam: sed desperato adest oportunè Divus Josephus qui miserum istum jam jam expiraturum, & ab inferno absorbendum ad saniores mentem revocat, ei enim se visibilem reddens, corripit duritiam cordis, & pœnâ æternæ capiti ejus imminentis objectu percellit ad poenitentiam: horret ad statum suum miserum ille Eques, confortat illum Divus Josephus: cui ille benè monenti obtemperans, Sacerdoti crimina cum dolore acerrimo aperit, lachrymis abluit: Quo factò mox animam Divo Josepho sospitatori suo tradit ad superos deferendam.*

XXIV. *Aliud refert exemplum hujus Classis P. Joannes Jacquinot Jesuita in libello*

libello Gallico, cui titulus: *La Gloire de Saint Joseph* ch. 7. confid. 7. de quodam sene Divo Josepho in paucis devoto. Hic ferè per biennium integrum acutissimos calculi dolores perpeffus, cum ex his finem suum instare pensitasset, Confessarium suum acciri voluit: cui animum suum aperiens; Pater, inquit, jam pridem in diem Festum Sancti Josephi mentis oculos conjeci, & per ejus intercessionem (in quâ omninò confido) à Deo peto, utinam exorem, ut vel isto die moriar, vel convalescam, nisi tamen ei aliud placeat: ac quidem si eo die moriturus sum, ut possim in eo pro ultimâ vice Sacro Corporis Domini N. J. E. S. U. Christi pabulo recreari, atque tam opportunè mori, ut possint adhuc isto die aliquot Missæ pro animæ meæ refrigerio celebrari. Nulla erat apparentia hoc humanitus posse contingere, quia ipsius dolores ita de die in diem ingravescebant, ut omninò desperaretur ipsum posse adhuc vivere totos novem dies qui restabant ante diem Festum Sancti Josephi. Contigit nihilominus præter omnium spem medicorum, ut optavit senex, vixitque totos illos dies: Quare pridie festi illius omnibus domesticis convocatis, eis benedixit, ipso verò die, secundâ post mediam noctem, Sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis pientissimè petitis & receptis, sibi semper eoulque præsentissimus, in agoniâ incidit mediâ horæ quadrantis spatio, postquam expiravit tam placidè, ut omnium circumstantium opinione mors ipsius somnus videretur, & imago illius requiei cujus possessionem in Cœlo si necdum ceperat saltem brevi capturus erat, cum tot fuerint inventi Sacerdotes, quot fuere desiderati, qui pro eo ipsomet die celebrarunt: sicque pientissimi desideria viri ex benignâ Divi Josephi dispositione fuere ad amissimâ completa.

XXV. Aliud refert Doctor Matthias Navus & librorum Censor Duacenus lib. cui titulus: *Sponsus Virginis Orat. seu tit. 5. sub finem.* Sub his ipsissimis, verbis. Certè recens est inter cætera, quod Vir Nobilis de Henin, Dominus de Miny Audomaropoli sub initium, Maii anni 1629. moribundus aperuit

Patri Capucino aliisque ei assistentibus, inspectos sibi in morbi gravitate fuisse Beatam Virginem & Divum Josephum cum Sancto Francisco, quibus dudum devotus fuerat: atque ex Sancto Francisco diem horamque mortis suæ ad tres dies sibi cum salutis indicio prænotuisse, eamque Coelestem dici & horæ mortis ejus præmonitionem ita comprobata à se fuisse dictus Pater & alii testati sunt, cujus etiam testimonii certam copiam ipse excepi: ubi quidem eam præmonitionem ex adnuto Beatissimæ Virginis & Sponsi ejus factam fuisse res ipsa indicare videtur; sicut & superiores Angeli, etiamsi comparantes, per Angelos inferiores quædam revelare solent, ut in Danielis Prophetiâ videri potest.

Huc quoque pertinet quod de Venerabili Sorore Yolantâ de Sylvâ Ordinis Sancti Dominici Moniali Religiosissimâ narrant ejusdem Annales Ordinis. Hæc cum Divo Josepho totâ vitâ suâ devotissima fuisset, ei in extremo morbo adfuit, visibiliter ei apparens, nec deserens usque ad mortem. Hucque etiam revocari posset quod de mercatore Hispano Valentino ex S. Vincentio Ferrerio retulimus supra hæc 3. Part. Tract. 2. c. 7. sect. 4. n. 40. Sunt & alia hujus generis infinita, sed hæc mihi sufficere videntur.

SECTIO III.

Patrocinium Divi Josephi contra morbos seu infirmitates spirituales & tentationes.

INitio capitis diximus peccata venialia, habitus malos, infranatas passiones, esse infirmitates, seu morbos animæ spirituales: quia ut morbus stat cum vitâ, ita stant illa cum gratiâ: Periculosa sunt tamen: quia ut morbi corporales, qui ex se sunt curabiles, si negligantur, fiunt per sepe mortales, ita & morbi illi seu infirmitates spirituales, si non emendentur, si negligantur, sæpè in fine trahunt animâ in interitum. Qui enim spernit

Dddd

modica

modica paulatim decideret. Ecclesiastici cap. 19. vers. 1. Patrocinium ergo Divi Josephi in his favor est duobus præcedentibus proximus.

XXVIII. Duobus ex capitibus vehementer difficile est, ne dicam impossibile, exemplum hujus oportuni subsidii ad mitigandam peccatorum venialium pruriginem, ad vincendos pravos habitus, edomandas animi perturbationes, & passionum insolentiam refranandam, à Sanctissimæ Virginis Sponso eum invocantibus præstiti colligere: tum quia sunt plurimi & maximè varii favores istiusmodi: tum quia ab illis qui eos percipere meruerunt ex humilitate servantur occulti.

XXIX. Pauca igitur (verba do Patris Barri citati cap. 11.) ex multis proferam ab iis cognita qui meâ in Spiritu directione usi, fecerunt ut ipsorum fide & experientia scirem, vix ullum esse præsidium efficacius ad nobilem aliquam de se ipso victoriam referendam, quam Sancti Josephi Patrocinium, cui nunc Deus omnia concedere videtur: crescitque experientium numerus, dum alter alteri spirituales suas necessitates subinde revelans, simul intelligit quid suis, quos consulit amicis, hoc in genere evenerit.

XXX. Prosequens igitur loco citato dictus P. Barri: Novi, inquit, ego quibus impossibile videbatur refranare linguam ut à mordacibus disteriis, à contentionibus, aut cavillis, abstinere: Novi quos concepta à personis quibusdam alienatio ita exasperaverat, ut nec earum præsentiam, nec affatum æquis oculis vel auribus, aut sustinere, aut admittere possent: Novi alios quos inordinati amoris affectus necessaria ad officii & orationis exercitium mentis attentione privabat, non absque excessibus animæ corporique periculosis & perniciosis, quibus omnibus remedio fuit Sanctum Josephum in vota advocasse.

XXXI. Fuit cui triennio integro impura isthæc flamma intra cordis penetralia succensa, restingui nequiverit ulla devotione: sed cum dierum novem silentium sibi indixisset in honorem Sancti Josephi, & memoriam silentii quod totâ vitâ suâ coluit (non enim

vel verbum ab eo prolatum legimus nisi Sanctissimum nomē Jesu Christi in Circumcisione, in maximis tamen loquendi occasionibus: eâ mortificatione vix exactâ se liberatam sensit: quapropter gratitudinis ergo Litanias ejusdem quotidie recitare proposuit.

Alio eodem affectu agitata, jam XXII. penè nec somnum capiebat oculis, nec spem habebat reliquam perseverandi in suscepto Religionis habitu, quod vehementer illam angebat: tantopere afflictâ suam ut novemdiem ad Sanctum Josephum devotionem institueret, ad quam alia quoque Moniales se socias offerebant, instituit; & eâ finitâ & corpore & animo rectius habere cœpit, & libera omninò ab istiusmodi tentatione extitit. Hæc omnia ex P. Barri libello Gallico citato cap. 11.

His adjicio quod de Sanctâ ac Seraphicâ Matre nostrâ Theresiâ legimus apud P. Ribera lib. 1. Vitæ ejus cap. 33. Huic Sanctissimæ Matri die Assumptionis Gloriosissimæ Virginis peccata vitæ ante actâ serius recogitanti, objectum est cœlestis visum, illudque gratissimum: Itaque in extasim rapta videbatur ei se veste seu tunica candidissimâ & mirabiliter lucenti vestiri. In principio visionis non videbat eos à quibus hæc veste tegebatur, sed deinceps cognovit hoc sibi factum à Beatissimâ Deiparâ & Sanctissimo Josepho, & intellexit hoc sibi contigisse in signum liberationis suæ ab istis peccatis, & puritatis animæ sibi concessæ, idque per merita Sancti Josephi, cum tunc manus ejus apprehenderit Beata Virgo, eique testata sit gratissimam sibi esse ejus erga Sponsum suum devotionem, & lummoperè placere zelum quo ejus cultum inter homines promovere satagebat. Ex quo intelligimus quomodo Divus Josephus à suis Clientibus morbos animæ spirituales depellat, & in animabus à peccando purificandis sollicitus sit.

In tentationibus non segnius opitulatur Divus Josephus, maximè verò castitati periclitanti: Patet hoc in exemplis allatis hic num. 31. & 32. & tribus quæ hic adjicio. Primò namque puellæ cuidam honestæ, cui Magorum carminibus

carminibus adacti dæmones importunius instabant, quies est reddita statim ut ipsa se Sancto Josepho commendans magnâ cum fiducia ex eâ chartâ quæ sacram Laudunensem unctiorem (de quâ infra cap. 8.) attigerat (sumpsit aliquid. Ita Pater Barri libello citato cap. 13.

XXXV. Alteri similiter quæ similibus tentationibus valde obnoxia, vovit per novem dies ipsius gestare imaginem, & mox ab iis liberata, opem D. Josephi in illis, ut præsentissimam, ita præstantissimam experta, testata est eidem auctori ibidem.

XXXVI. Tertium refert R. P. Maximilianus Lenglez, PP. Ord. Min. Recollectorum, Provinciae Flandriæ Provincialis in libro Gallicè conscripto, cui titulus: *L'Escole de Marie, Alphabet 2. lettre D. §. 4.* quod anno 1618. contigit Virgini honestissimæ Ditionis & Diocesis nostræ Leodienfis inter Mosam & Sambrin, hæc cum inter agens inter avia occurrisset nebuloni cuidam perulanti, passura erat haud dubiè vim, quam hic propudiosus flammis cupidinis incensus voluntati suæ consentire abnuenti, & pro posse resistenti, inferre parabat: Sed adfuit illi in his angustiis Divus Josephus ab eâ ex intimis invocatus. Ille enim violentus derepentè voce puellæ Divum Josephum in clamante, quasi fulmine percussus, omnibus viribus exhaustus obrigit, ita ut amplius se movere non potuerit: sicque illa innocens columba ope Divi Josephi intacta, ex unguibus istius profani accipitris evasit, non sine illius stupore & hujus confusione.

XXXVII. Neque hoc his temporibus, quando ejus merita tam magnificè à Deo extolli videmus, tam mirum; cum & de quâdam Religiosissimâ Virgine cui nomen Hildegundis hæc suo tempore referat Casarius lib. 1. Mirac. cap. 40. Adolescentem se simulans Hildegundis nomen Sancti Josephi sibi imposuerat, ut eum quem validas vicissè tentationes noverat contra duplicem hostem pugnatura, carnem scilicet & Diabolum suæ memoriæ artius imprimeret & per auxilium plenius sentiret.

Denique eo usque progreditur hæc Divi Josephi erga suos devotos, protectio, ut statim atque ab eis electus est in Patronum & Tutelarem, ejusque Clientelæ se commiserunt, incunctanter eos etiam antequam rogatus præveniendò adjuvet, ac si illi factis scit scire quod sint ex suis Clientibus & Devotis, ut feratur affectu pronissimo ad eis benefaciendum, & averrenda ab eis mala & pericula quibus inquietari possent.

Immo si contra hos morbos spiritualesque defectus omnes, aquam expertis divinarum curationum, recurrendumque tibi videatur ad Piscinam probaticam spiritualem, Beatissimam dico Virginem Dei Matrem, quæ ad Angeli ad eam cum Divinâ salutatione descensum turbata, omnium in se supernarum curationum virtutem suscepit: Cogita quod cum nobis nimia infirmitate pressis, alieno ut ad eam perveniamus adjuutorio opus sit; juxta illam proximè ei D. Josephum: assistere & quis illo ei proximior? sed quis eo in nos propensior?

CAPUT VI.

Patrocinium Divi Josephi in conversione infidelium & perfectione omnium.

POSTQUAM vidimus per effectus virtutem Patrocinii Divi Josephi ut liberemur à malo, sequitur ut videamus quomodò juret in bono: Ratio enim vitæ Christianæ, quam profiteamur, non in eo tantum sita est ut mala non agamus, sed insuper exigit ut etiam bona faciamus, dicente Scripturâ psal. 33. vers. 14. *Diverte à malo, & fac bonum.* Neque enim sevis tantum iniquis, sed etiam inutilibus merces negatur: Cum etiam magnū malum sit nihil boni facere, vel talè tum ad negotiandum concessum in terram fodisse: & judex vivorum & mortuorum non iis tantum qui occiderunt vel furtum fecerunt vel mercedati sunt dicturus sit, *ite maledicti in ignem aeternū, qui parati estis diabolo & Angelis ejus,* sed illis etiam qui

D d d d 2

qui

qui cum nudus esset cum non coopererunt, cum esuriret non dederunt ei manducare, &c. Matth. cap. 25. Ac primò quidem cum conversio infidelium utrumque complectatur, relinquunt enim idololatriam quæ est summum malum, & amplectuntur veram unius & solius veri Dei Religionem quæ est primum bonum. Primò, in eorum conversione videamus Patrocini Divi Iosephi efficaciam, visuri postmodum illam in perfectione omnium.

SECTIO PRIMA.

Patrocinium Divi Iosephi in conversione infidelium.

- II. Patriarcham Iosephum Ægypti Pro-Regem legimus in tempore fertilitatis & abundantia ferè solum in Curiâ Pharaonis Regis cognitum, sed in annis sterilitatis & penuria ab eo constitutum super omnes Regni Provincias & gazas, omnibusque providentem, quin etiam ipsis extraneis: hoc figura fuit, accipe veritatem.
- III. Prima Ecclesie sæcula, anni fuere fertilitatis, abundantia, virtutis, totiusque sanctitatis: in illis Divus Iosephus ferè solum à cælitibus in pretio & honore habitus est; sed in postremis, quando refrigescente charitate, tanta est sterilitas, penuria tanta virtutis, constitutus à Deo cernitur manifestè ut ex eius abundantia toti Ecclesie esset provisum: neque huic solum, sed etiam extraneis ab illa, idest infidelibus, quorum conversio, & ad Ecclesiam aggregatio, illius meritis, intercessioni, & precibus maximâ ex parte deberi dignoscitur.
- IV. Apostoli Franciæ novæ (in quibus non postremum Patris nostri Provinciæ Armoricæ seu Turoniæ à quâ Reformatio nostri Ordinis initium sumpsit obtinent locum) tantum ibi fructum & tam brevi tempore fecere, ut prodigium sit maximum, tantam & adeò subitam gentium & hominum tam efferatorum videre conversionem, qui felicitatem suam post Deum unico Divo Iosepho referunt, cumque

suspiciunt ut istius mundi Plagæ, primum apud Deum Protectorem & Tutelarem, ob patrata ad nominis ipsius invocationem mira prorsus ac stupenda, quorum gaudium nova in dies accipit incrementa per incredibilem aliorum qui in dies convertuntur ad ipsos accessionem.

In Oriente quàm ubique Divi Iosephi nomen sit super alios Sanctos celebre, quis explicet? Nec ob aliam certè causam, nisi ob mirabilia quæ ibi Deus in dies operatur ad Divi Iosephi invocationem pro solatio miserorum, quibus potenter alliciuntur & illi & ceteri, ut Evangelio credant & obediant, Deo ubique propter sui in terris amantissimi Patris intercessionem cooperante & sermone confirmante sequentibus signis.

Relationes Canadaïenses anni 1638. Patrum Societatis Jesu asserunt prædictos Patres ibi Missionarios, Divum Iosephum istius Missionis elegisse Patronum, ac propterea. Primò, Iroquensî converso, in baptismo nomen Iosephi imposuisse, primum ei fructum asserentes cui totam messem consecrarant, commendarant, & ascribunt: quæ cum ab inde tam feliciter cesserit & in dies augeatur ut vix aliquid amplius desiderari possit, quis dubitet ipsâ illius favori, & intercessioni deberi sub cuius auspiciis facti coepit?

Legendæ sunt etiam Relationes Missionum Paraguaïæ in America Meridionali, ubi Missiones illæ sunt quoque Divo Iosepho dicatæ & commendatæ tam felici & admirabili successu ut brevi illa Provincia, ac aliæ plures ei finitimæ illam secutæ, Evangelio nomen dederint, & quidem tali modo, ut non tantum ritus & mores, sed etiam nomen mutarint: cum ibi, ut iterum in Superioribus diximus, & urbes & Provinciæ integræ, Urbes Sancti Iosephi, Provinciæ Sancti Iosephi, nuncupentur, agnoscentes planè se illius Sanctissimi & castissimi Virginis Sponsi intercessionibus debere suam conversionem & felicitatem, pro ut etiam profitentur illi quorum operâ Deus uti voluit ad illam promovendam.

VIII. Ut verè dicere possit Sanctus Josephus, *Postulavi filium meum, dedit mihi gentes in hereditatem*, & mihi firmissimè persuasum sit Divum Josephum his postremis temporibus, quibus ipse cultus (quod toties repetii) à Divinâ providentiâ expressè reservatus est, à filio suo petiisse & ab eodem obtinuisse illarum gentium salutem, quam propterea reciprocè filius ejus sedulæ sollicitudini & tutelæ consignavit, qui proinde strenuos illos Operarios ab eodem Filio suo obtentos, & cœlesti fortitudine ac constantiâ armatos, adjuvando profecutus est: atque ita; licet Gentes illæ decem millia Pedagogorum, seu Prædicatorum, habuerint, sed non multos Patres; ipse enim Divus Josephus per merita sua illos Christo genuit.

S E C T I O II.

*Patrocinium Divi Josephi
pro virtutibus & perfectione omnium.*

IX. **H**oc Privilegium magnificentè verè devotivè clientibus Sancti Josephi; verè utique magnificentè: Cùm enim hi probè sciant nihil esse desiderabilius virtute & perfectione, nihil autem molestius quàm difficultates, quæ in illarum acquisitione occurrunt superare, nihil consequenter optabilius judicabunt, quam in hac prosecutione potenter juvari.

X. Atqui Sanctus Josephus has molestias ita sublevar, & manum tam propitiam & efficacem præbet volentibus & benè affectis ut nonnisi ludicra puerorum tericulamenta fuisse inveniantur p̄tor (usq; evanescent manum eo invocato operi admoventibus: unde non vereor dicere quod sentio Deum ipsius sollicitudini & pietati potius quam ullius alterius Sancti præcipuè has causas commississe? & id quidem quantum arbitror meritò, in compensationem, scilicet vitæ illius tam Sanctæ, tam absconditæ, tam interioris, tamque perfectæ, quam per triginta annos totos duxit in domo suâ Nazarethanâ cum sanctâ familiâ suâ,

Juvat hæc in re Seraphicam matrem nostram Theresiam omnium Divi Josephi devotorum Coripheam potius audire quàm me, vel quemcumque alium. Hæc ergo libro vitæ suæ de Superiorum suorum speciali mandato à se Hispanicè conscripto cap. 6. *Accipi, inquit, pro Advocato & Magistro gloriosum Sanctum Josephum, & precibus ejus valdè me commendari, clarèque cognovi, quod Sanctus iste Pater & Dominus meus extraxerit me tum ex necessitate istâ, tum ex aliis majoribus circa honorem, & jacturam animæ periculis, idque majori meo bono quàm eum rogare scrivissem. Non memini me rem ullam usque modo eum rogasse, quam non adimpleverit, mirum est quam magnis gratiis per Sanctum hunc me Deus dignatus sit & è quantis tum corporis, tum animæ periculis eriperit: videtur Deus sanctis aliis ad succurrendum in particularibus aliquibus necessitatibus gratiam donasse, sed gloriosè huic sancto, sicut ipsa experia sum, ut optuletur & auxilium ferat in omnibus, quodque nobis notum facere Salvator voluerit, se sicut in terris ei subditus fuit, & Pater ejus nominabat, Nutricius & gubernator ejus existens, eique mandare potens, ita nunc in Cælis indulgere omne quod petit: Quod etiam experti sunt alii à me quibus ut ei se commendarent consului. Et de novo veritatem hanc probavi vellem libenter devotionem erga gloriosum hunc Sanctum omnibus suadere ob magnam experientiam quam habeo honorum quæ obtinet à Deo. Neminem novi verè devotione ei affectum, & qui particulare aliquod servitium ei faciat, quem in virtute magis promotum non videam; quia animabus ei se commendantibus multum progressum afferit: Ab annis aliquot videtur mihi quod rem unam ab eo petam, quam semper video completam. Et si petitio non omnino re-cta est, eam ipsè ad majus bonum meum rectificat ac dirigit: si persona essem qua scribendi haberet potestatem, libentissimè ad gratias quibus Sanctus hic me, aliasq; personas affectu particulatim referendum me dilatarem. Sed ne mandatum mihi factum prætergrediar, brevior ero in multis quam voluissem, & in aliis quam oporteat prolixior, tanquam quæ in bonis rebus omnibus parum discretionis habeam:*

D d d d 3

solum

solum pro Dei amore oro, ut is qui mihi non credit, probare velit, & experientia discat quam sit utile glorioso huic Patriarchæ se commendare, eique devotum esse: præsertim vero eis qui se orationi ad dicunt..... Qui Magistrum à quo bene orare discat nancisci nequit, in Magistrum accipiat gloriosum hunc Sanctum, & bene orandi viam sine dubio inveniet. Hæc Sancta Mater, quibus similia passim habet alibi.

XII. Exemplum suavitate & admiratione plenum in hunc rem refert Oamarinus citatus, de quodam juvene deploratæ vitæ ex domo cujusdam Episcopi, cujus Ephæbus erat, ob depravatos mores ejecti: hic post ejectionem militiæ nomen dedit: cui adscriptus, post aliquantum tempus vitæ suæ pertæsus signa deseruit: quare fugientem insequuti Tribunus & Commilitones, ab eis tandem apprehensus, damnatus fuit more militum desertorum ad vitam per arma miserè finiendam: alligatus ergo palo seu arbori, & jam jam Sclopetis appetendus, cepit ille ex toto corde converti ad Divum Josephum, promittens ei si ab hac extremitate liberaretur, se reliquum vitæ suæ in ipsius obsequio, & statu Religioso tradendum. Et ecce; ô rem mirabilem & amabilem! dum hæc ille animo versat, & hæc propositum ingeminat, Deus subito virginis opulentæ, tunc ibi præsentis, cor ad istius miseri commiserationem fecit, quæ statim Tribuno adgeniculans supplicat sibi miserum istum donari in maritum: quod Tribunus admirandus annuit, & liberatus est, ipsique ibidem desponsati: sed Juvenis ille memor promissi sui, antequam advesperasceret, monuit novellam sponsam suam de promissione à se in istis angustiis factâ: Cujus obtento consensu suscepit habitum Patrum nostrorum Discalceatorum à Sanctâ Matre Theresiâ nostrâ Divo Josepho specialiter dicatorum, quem non diu post Sponsa in eodem vitæ genere secuta est.

XIII. Aliis particularibus exemplis in hujus veritatis fidem recensendis non diutius immorabor, plura qui desideraverit inveniet apud eandem Sanctam

Matrem Theresiam in libris ab ipsâ conscriptis: apud P. Barri Jesuitam libro citato cap. 10. & alios: transeamus ad majora & notabiliora quæ scilicet respiciunt Congregationes Religiosas & Familias integras, quibus evidentissimè benedixit.

Ac primò quidem ab eadem Sanctâ Matre Theresiâ nostrâ exordiamur, quæ, quod cœlitus edocta scriptis suis tradidit, hoc ipsa proprio experimento comperit: Reformationem enim suam nostrorum Excalceatorum & Excalceatarum, omnium totius Ecclesiæ undequaque celeberrimam, quam eidem Divo Josepho Patri suo in principio (monente Desparâ totius Ordinis Matre & Patronâ singularissimâ) dicavit; & cujus ipsum Patronum & Tutelarem esse voluit (propter quod ei primum Monasterium quod ædificavit, nuncupavit) ita sub ejus auspiciis crescere vidit, benediciente propter amantissimum Patrem suum ejus conatibus Domino; ut brevi ex modico surculo excreverit in magnam arborem, quæ ramos suos extendit à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos Orbis terrarum, in quibus infinitæ Cœli aves, idest utriusque sexus homines, à terrenis abstracti requiescunt, itaut Congregatio illa talibus incrementis sub tanto Patrono aucta, majoribus nunc Ordinibus in numero Conventuum, Personarum, virtute, literis, sanctitate, & laboribus pro Ecclesiæ augmento gloriosè susceptis, & exantatis, æquiparari possit: Atque ita quidem ut omnes illius Conventus nullo dempto (quod observatione dignissimum est, atque ad cultum hujus Sanctissimi Proto-Patriarchæ universum orbem Christianum animare valet) totidem sint velut probatæ Piscinæ ad infirmitates corporum curandas, totidem prophætoria ad obtinenda quæcumque animarum beneficia, in perpetuum spiritus Theresiæ heredum patrimonium, à Clementissimo Deo hominibus assignata, quot apud eos sunt Ecclesiæ aut erectæ in istius sancti Protectoris & Tutelariæ honorem Aræ, ut inquit Doctor Matthias Naveus citatus.

Exem-

XV. Exemplum tantæ fororis non impigre secuti sunt etiam fratres ejus. Patres, dico, & primi Authores Reformationis totius Ordinis, Venerandi PP. *Matthæus Pinaule*, & *Philippus Thibault* Provinciae Turoniae seu etiam Armoricae sub Regno Regis Christianissimi: Hanc siquidem ut testatur noster Matthias à Sancto Joanne ejusdem Provinciae Provincialis dignissimus Tomo 2. Histor. Panegyri. Ord. Carm. part. 4. cap. 30. sub ejusdem Sanctissimi totius Ordinis Protectoris auspiciis inceperunt, hanc ejus Tutelæ specialissimè cômiserunt, ejus nomini primum Conventum quem ab auspiciatâ Reformatione ædificare potuerunt, solemniter consecrarunt; in aliis Aram unam, quantum licuit, in omnibus, ejus Festum quàm solemnissimè fieri potest celebrari constituerunt, quod etiam in aliis Provinciis ubicumque viget reformatio Religiosissimè servatur, ab omnibus denique quotidie in precibus vespertinis post Beatissimam Virginem, & ante Sanctum Patrem nostrum Eliam, communiter invocari sanxerunt, non sine manifestissimâ etiam Dei benedictione. Hæc quippe reformatio tales sub ejus potentissimis auspiciis fecit progressus, ut jam ferè totum Ordinem quâcumque extenditur pervaserit: Opus ut norunt experti non minoris, imò longè majoris difficultatis quàm Ordinem de novo fundare.

XVI. Eodem tempore quo Carmelitis reformandis Sancta Theresia incumbebat, cœperunt quoque reformandis in Hispania Ordinis Sancti Francisci Conventibus, actiori quæ observantiæ inducendæ operam dare S. Petrus de Alcantara à Clemente IX. unâ cum S. Mariâ Magdalenâ de Pazzi nostræ Observantiæ anno 1669. Sanctorum Fastis adscriptus, & R. Pater Joannes Paschalis, qui primæ atque aliarum reformatarum Matri Provinciae Castellanae Sanctum Iosephum ascivere Patronum, cujus favore & Patrocinio eam ad illum provexerunt statum, in quo illam cernere est.

XVII. Societas IESU nobilissima eidem Sanctissimo Patriarchæ commendat domos tertiæ probationi destinatas,

quæ fit post absoluta studia, ubi interioris hominis culturæ, & humilitatis latere cupientis, exercitiis & acquisitioni potissimum intenditur, quoniam sciunt Patres isti religiosissimi quod eâ in parte præcipuè se admirabilem reddit iste Sanctissimus Pater IESU, & hi etiam experti cum quanto fructu.

XVIII. Congregatio Patrum Oratorii IESU in Gallia, qui ei etiam specialissimè devoti sunt, ejusque festum maximâ quâ possunt solemnitate celebrant in domibus suis, in quibus etiam ut minimum unum Altare habent ei dicatum, in omnibus crevit ad oculum, & hoc quidem, sensu & opinione illorum, auxiliis potentissimis Divi Iosephi protectoris, in quo filialiter confidunt: nam ab anno 1611. in quo hæc devotissima & eruditissima Congregatio initium sumpsit Parisiis in suburbio Sancti Iacobi, usque ad annum 1619. idest spatio octo annorum vel circiter, ita crevit, ut eo tam brevi intervallo triginta duas domos in primariis istius Regni Civitatibus obtinuerit, ut Rothomagi, Tholosa, Lugduni, Aureliis, Turonia, &c.

XIX. Patres Carthusiani anno 1567. ad Capitulum Generale Ordinis Congregati cum vacua ubique Novitiis Monasteria sua considerarent, atque adeo institutum suum vehementer periclitari, si veteranis magno numero decedentibus Tyrones non succederent, decreverunt ad Sancti Iosephi patrocinium recurrere, ejusque festum quotannis solemnè habere, ut patet ex Decreto istius Capituli. Et ex eo tempore non defuerunt idonei qui vel ipsis in locis se offerrent, vel aliunde submitterentur postulantes admitti. P. Barri lib. cit. cap. 13.

XX. Urtulinae Virgines cum in Lambesci Provincia sedem statuere sperarent allecæ piorum quorundam speciosis promissis, adeo isthæc immatura omnia, & præter earum opinionem imparata invenere, ut nec domum in quam diverterent pretio locandam aliquis exhibere vellent: Quare redeundum sibi Aquas Sextias, unde venerant, vix ulla dubitabat. Prius tamen quam frustratæ remearent, ad eum quem

quem expeditioni suæ patronum elegerant Sanctum Iosephum, novem-diali devotione statuerunt confugere, & Litanias ejus post Missam pariter recitare. Necdum nonus illuxerat dies, cum honestus Presbyter, qui nuper Ecclesiam Virginibus Theresianis prope ipsam urbem condi curaverat, Superiorissimam Ursularum advenarum accedit, Ecclesiam & domum suam ei annexam offert cum certis possessionibus eo quoque spectantibus: Ita invocati patrocini apparuit efficacia, cum bonæ istæ Virgines in ejus domum se receptas viderunt, quæ inter Divo Iosepho devotas singulariter meruit ejus filia dici.

XXI. Et hæc nunc sufficiant ad institutum nostrum: ut non tantum particulares omnes, sed etiam Communitates aliæ ad prædictorum exemplum & imitationem alliciantur, ut tam præpotentem adiutorem sibi etiam adificent in Patronum: quemadmodum anno 1676. fecit præunte Serenissimo Principe & Episcopo, cum Per-Illustri Capitulo suo Cathedrali Civitas, Patria & Diocesis nostra Leodiensis, pro ut fecerat paulò ante totum Imperium, annuente & approbante ad postulationem piissimi Imperatoris Summo Pontifice.

XXII. Ad calcem hujus capituli, addendum primò, innumeram illam sobolem spiritualem Divo Iosepho à Deo concessam, non posse illi à nobis negari, postquam vidimus Deum sic cum dilexisset, ut ei filium suum unigenitum daret. Addendum secundò, fuisse etiam meritum ex multis causis, quarum una nec parva aut exigua hæc est quod eundem Dei filium & suum, ab impij Herodis & Satellitum ejus crudeli manu eriperit.

XXIII. Huic asserto prolusum video Exodi cap. 1. vers. 17. & seqq. in obstetricibus Ægyptiis, quæ licet Ægyptiæ essent & à Dei veri Religione valdè alienæ, à Deo tamen observatos Hebræorum pueros larga mercede cumulata sunt: sic enim ibi habet Scriptura: *Timmerunt autem obstetrices Deum & non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti, sed conservabant mares, quibus ad se accessisset, Rex ait: Quidnam est hoc quod*

facere voluistis, ut pueros servareis? Quæ responderunt, non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsa enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam venimus ad eas pariunt: bene ergo fecit Deus obstetricibus: & quia timuerunt obstetrices Deum, edificavit eis domos. Non voluit Deus illas esse irremuneratas quæ pueros populi sui contra Regis Edictum servaverant.

Sed attende earum remuneratio. XXIV. *Edificavit, inquit Scriptura eis domos. Quid autem hoc est? Id est, inquit Oleaster, Primò, dedit illis posteritatem, dedit eis progeniem seu filiorum multitudinem; eo quod Hebraismus, à Banach, quod est edificare, deduxit Ben quod est filius, quasi filius sit ædificium Patris: ex quo sequitur quod dare alicui filios est idem quod edificare illi domum.*

Secundò, *Edificavit eis domos, id est, inquit idem Oleaster, rem familiarem dedit & auxit: Immensam ergo Divi Iosephi mercedem, numerum filiorum spiritualium innumerum, Coelestium divitiarum copiam, hinc collige: hi enim mulieres Ægyptiæ à Deo promeruerunt rei familiaris augmentum & progeniem multam, seu filiorum multitudinem carnalium ob substractos neci pueros Hebræorum Scripturæ Sacræ attestante, quid non meruit D. Iosephus à Deo, qui filium ejus ab Herodis truculentâ manu, ac deinde ab Archelai furore eripuit?*

CAPUT VII.

Patrocinium Divi Iosephi contra corporales dæmonum infestationes.

A Beneficiis spiritualibus, illis scilicet quæ tangunt animam, Divi Iosephi interventu fieri solitis, de quibus in præcedentibus, ad corporalia quæ tangunt corpus gradum facturus, hoc loco ut congruum ordinem sequamur patrocinium ejusdem Sanctissimi Patriarchæ potentissimum contra corporales dæmonum infestationes collocandum censui, quia cum infestatio hujus-

hujusmodi quæ est materia circa quam versatur hoc genus beneficii sit à dæmone, & purè respiciat corpus; potest aliquo modo dici ab authore, dæmone scilicet infestante, spiritualis, ab effectu verò corporalis, ac mediare inter purè spiritualia illa beneficia, quæ præcesserunt, & purè corporalia, de quibus in sequentibus, & idèd hîc est hujusmodi beneficii verus & proprius locus.

II. Porrò duobus modis dæmon homines corporaliter infestare solet, per se scilicet, & per suos, idest per maleficos.

III. Per se id præstat duobus modis: quorundam enim corpora intrat, & inhabitat malus hospes (& vocatur possessio) in quibus mira, prodigiola, & stupenda loquitur, & agit, quæ constat evidenter non posse esse ab homine ex solis viribus & facultatibus suis agente: quæ tamen non possunt dici supernaturalia, quia licet excedant vires naturales & capacitatem hominis, non tamen totius naturæ creatæ, quia sunt in illo naturaliter à dæmone: aliorum verò corpora tantùm obsidere permittitur malus vicinus (& vocatur obsessio) & hos etiam mirè torquet ad extra, terret apparitionibus, occultorum manifestationibus ludificat, &c.

IV. Per suos secundò corporaliter infestat homines Cacodæmon, qui utique ad hoc utuntur maleficiis. Est enim ut definiunt nostri Theologi Maleficium, *Ans nocendi aliis mediante Dæmonis potestate*, & hoc etiam dupliciter, amatorio scilicet maleficio, & venefico.

V. Per amatorium maleficium solet procurari ut aliquis afficiatur amore carnali impotenti erga hunc vel istum in particulari, quod certissimè sit operà dæmonis: quia licet sint quædam in rebus naturalibus, ut in herbis, lapidibus, &c. vires & facultates, quæ amoris & concupiscentiæ flammam possunt præpotenter accendere, nulla tamè est in illis facultas ingenita quæ suâ præ excitet ad amandum hunc vel illum in particulari, sed quod quis ita certam & determinatam personam depereat, sit à dæmone, qui homi-

nem ad amandum excitatum & accensum, allicit & determinat ad amorem hujus vel illius in particulari.

VI. Per maleficium autem veneficum solet à maleficiis procurari nocumentum homini, vel in suâ personâ, causando ei dolores, infirmitates insolitas, impotentiam coeundi, &c. vel in suis rebus, puta arboribus, vineis, agris, per sterilitatem, pecoribus ea interficiendo, vel ædibus eas subvertendo. Dæmon enim qui exactè rerum omnium naturalium vires tenet, clam applicat venena, aërem inficit, excitat tempestates, &c. quibus nocumenta præfata infert.

VII. Contra hæc omnia quid possent efficere purè naturalia, quorum omnium actionem dæmon facillè potest elidere & eludere? Aliâ itaque, supernaturalia scilicet adhibenda. Optima sunt ad hoc & efficacia; magna fides, susceptio Baptismi, Confessio peccatorum suorum, sumptio Sacrosanctæ Eucharistiæ, exorcismi Ecclesiæ, aqua benedicta, Reliquiæ Sanctorum, signum Crucis, nomen Jesu & Mariæ devotè prolatum, invocatio Sanctorum.

VIII. Inter hos, ut in aliis, ita in hæc materiâ constat Divum Josephum singulariter eminere: Ac quidem primò in obsessioe & possessione patet gloriosissimè & supra omnem evidentiam in famosâ illâ Monialium Ursulinarum Conventus Juliodunensis in Gallia obsessioe, & possessione ab infami illo hospite post mille exorcismos & adjurationes, tandem interventu Divi Josephi liberatarum: inter quas stupendissima fuit ob mirabiles circumstantias obsessio & possessio per annos fermè tres, & liberatio à septem dæmonibus Venerabilis Matris *Joanna ab Angella*, ex Illustri Familiâ de *Cose*, Superiordissæ istius Conventus ab illis malis seu vicinis seu hospitibus toto illo tempore afflictæ, nequitia horrendâ sceleratissimi Sacerdotis *Urbani Grandier* Magici, qui tertio vel quarto post perpetratum tantum scelus mense agnitus & comprehensus, dignâ pro meritis pœnâ, vivus combustus est: pro quibus videndus Tractatus expressus cui *Gloria Divi Josephi*

E c c e

& alii, inter quos P. Barri libro toties in hoc Opere citato: pluribus in locis maximè cap. 9. & cap. 13. circa finem, in quarum Monialium liberatione cum plures à Patribus nostræ Reformationis, & nostri in eadem Urbe Juliodunensi Conventus, uti earum inter alios Exorcistæ, operam suam non impigrè contulerint, quod negare non poterunt illi, qui cum dicendum esset, silere voluerunt, non dubium est quod ab ipsis potissimum hic Sanctus Sospitator invocatus sit, & horum suasionem ab aliis co-Exorcistis propter illa quæ diximus supra hanc part. 3. Tract. 2. cap. 6. num. 11. 12. & 13.

- IX. Secundò, elucet etiam efficacia Patrocini Divi Iosephi in infestatione demonum per suos, idest per maleficos, quanquam & illa quæ superius num. præced. per unum ex illis eumque insignem, fuerit.
- X. Ac primò quidem contra maleficium amatorum: Cujusdam enim Virginis Castæ quietem cum importunè valdè suis vexarent artibus Magici nonnulli, indeque illa non parum angeretur remedium quæsitura oportunum, rem tandem aperit Confessorio suo, cui hic in hæc versatus Palæstra, opem, inquit, Divi Iosephi implora: tum iuberat deferat particulam chartæ quæ sacram & miraculosam unctionem Juliodunensem, de quâ infra cap. sequenti, attingerat, & illicò ab his importunis tentationibus liberatam se gavisa, liberatori suo gratias egit, P. Barri lib. cit. cap. 13. circa finem & alii. Vide etiam hic supra cap. 5.
- XI. Secundò, ejusdem quoque patrocini mirabilis energia patet contra maleficium veneficum; pro quo adduco in testem eundem P. Barri ibid. cap. 9. circa medium cujus accipe verba è Gallico translata. Magici ipsi fatentur sua sortilegia infirma contra parvulos illos quibus nomen Iosephi impositum est: & accepi ex testimonio fide digno honestum quemdam virum cujus omnes proles statim à natiuitate sortilegiis extinguebantur, aliquas tandem ab hæc funesta nece salvasse, postquam primæ ex his no-

men Iosephi imposuisset ex consilio unius ex amicis suis, qui cum aliàs Magiæ deditus fuisset, eum certum fecit se certò scire, & expertum fuisse D. Iosephum verè omnia posse contra ejusmodi maleficia. Ita P. Barri citatus.

CAPUT VIII.

*Patrocinium = Divi Iosephi
in sanatione Pleuritidis,
quæ fuit fons perennis
aliarum.*



OROR Joanna de Angelis Ursulinarum Juliodunensium Superiorissimæ mortali Pleuritide in præsens vitæ periculum adducta, desperantibus de eâ Medicis & Pharmacopeis, sanitati tamen ope Divi Iosephi, cui devotissima semper fuerat, evidentissimo miraculo est restituta. Quod quia ritè ab Illustrissimo Episcopo Pidavienfi approbatum est, & relatione impressa anno 1637. vulgatum, plenius per omnes circumstantias, describere superfedeo: modum dumtaxat ipsius sanationis ex ipsius relatu vilius est hoc loco breviter attexere, eo quod scaturigo extiterit aliarum sine numero.

Cœpit igitur læthales hæc Sanctimonialis spasmos velut mox expiratura pati, sensuum quidem externorum omnium usu destituta, plenè tamen compos rationis. Hoc in statu agenti oblata est visio magnæ cujusdam & candidæ nubis, intra quam ex unâ parte sedebat Angelus ejus Cultos speciem referens formosi octodecim annorum Adolescentis, flavo longoque capillitio ornati, & cereum ardentem manu gestantis: ex alterâ gloriolus Patronus ejus Sanctus Iosephus vultu luceti instar Solis, & maiestate plusquam humanâ conspicuus: cœtera similis viro mediæ intra quadragesimum & quadragessimum quintum ætatis. Cui capillitium castanei coloris prolixum, sed mirè decorum & pellucidum, qui quemdam ex circumstantibus lætulo infirmæ,

per

per quàm blandè & amanter intoutus, ad Joannam deindè conuerti uisus est, dextramque manum afflicto lateri imponere, atque illud inungere oleo seu liquore quodam, ex quo & latus ejus humidum, etiam post uisionem repertum est, & ipsa eodem momento reddita sanitati.

III. Quæ nihil morata, surrexit è lecto in quo jam decimum-quartum diem pleuritidis detinuerat continuâ feбри ad mortem impulsam inter punctiones acutissimas affecti lateris, nonâque uenæ sectione omnibus sic exhaustam uiribus, ut nec ipsa se mouere posset. Admirati sunt ad tam subiram mutationem omnes, sed nemo magis quam Heterodoxus ex Calvinianâ Scholâ Medicus nomine *Fanton*, ubi scilicet cubiculum ingressus lectum uidit vacuum, & omnes circum in genua prostratas Moniales; ipsam uerò quam moribundam reliquerat Superiorissam conspexit ex angulo sibi occurrentè in habitu suo Religioso, hilari uultu subridentem, sanam ac vegetam, quam cernens sic ualentem, hæsit primùm aliquamdiu attonitus, tandemque protestus nihil esse quod Deo sit impossibile, confusus recessit. Ita Pater Barri libro Gallicè conscripto citato cap. 12.

IV. Ex hoc stupendissimo miraculo secutum est aliud æquè & plus mirandū, quod scilicet fuerit aforum fons innumerorum: ipsius enim miraculosè sanatæ interula linea, quæ celestem ex affecto & illito latere combiberat unctionem, non solùm constanter seruat fragrantiam admirabilem, sed etiam curandorum in aliis morborum uirtutem, ipsamque etiam communicat Rosariis, Numismatibus, Imaginibus, cum inuocatione Sancti Josephi sibi applicatis.

V. Ita paucis, octo scilicet post patratū prememoratum istud celeste prodigiū diebus, cum *Dominam de Laubar demont* quartum mensē gravidam inuasisset pleuritidis Turoniæ, nec auderent amplius frustra adhibita per aliquot tempus remedia iterare quatuor qui eam curabant Medici, nè Matri simul & fœtui mortem accelerarent, inspirauit Infirmæ morienti ejusque Marito

Deus, ut allatæ nuper à Sanctissimo Josepho de Cœlo Medicinæ uirtutem jam circumquaque uulgatam, uellent cum fide experiri. Mitruat itaque Juliodunum qui linteum prædictum ab Ursulinis poscant concedi, isto periculo constitutæ ægrotanti applicandum. Affertur Infirmæ linteum cœlesti illo Balsamo perfusum, ad cujus odorem primò cor illius ingens incessit gaudium; deindè illud excipiens cum maximâ deuotione, atque affecto lateri fidenter admouens, perfectam illicò sanitatem obtinuit. Tandem intra paucas horas enixa est fœtuum, quæ salutari tincta lavacro breui post Angelicis agminibus interi meruit.

VI. Puer nomine *Claudius Munier* Lagergementi, quod Bresciæ Castellum est, commotans, gravem prorsus & insolitam coxæ unius patiebatur inflammationem, quæ ad ipsos usque renes pertingens, ardentem infirmo febrim, expertis metum generabat, ne uel *Claudius claudus* remaneret per reliquam uitam, uel dissiliens enormis ille tumor, ut minabatur, propter humorum abundantiam grauius aliquod adferret incommodum: omnes qui uisabant infirmum, non aliter nisi pronò in uentrem corpore decumbere ualentem, ingenè illius tenebat commiseratio, sed maximè ejus Auunculum Societatis *Jesu* Religiosum, qui cum didicisset nihil profectum esse per medicamina à Matiseonensibus Medicis & Pharmacopeis adhibita, statuit omnem conseruandi nepotis fiduciam in Sanctum Josephum transferre. Quare oblato mox in ejus honorem Sacro-Sancto Missæ Sacrificio, infirmum de suis peccatis confessum Dominico corpore refecit. Dein particulas duas chartæ quæ prædictam attingerat unctionem Juliodunensem carpens, alteram puero deglutendam dedit, alteram parti afflicte applicuit, releyatumque mox puerum eodem die febris reliquit, inflatis partibus ita sensim derumescens, ut intra tres dies promptus fuerit & expeditus ad septem leucarum iter equo emetiendum: in quâ mirabili curatione illud etiam consideratione dignissimum,

Eccc 2 quod

quod illa pars lateris afflicti, cui per modum cataplasmatibus ista mitificae chartae particula applicata fuerat, ante omnes etiam & omnino detumuerit, ac quasi adusta remanserit, istaque humorum congeries dissipata sit nescitur ubi. Hæc P. Barri capite citato.

VII. Mulier Trevaucensis prægnans, per tres dies totos dolores partus acutissimos perpeffa, & ad extremum vitæ adducta, mox ubi factò proposito suscipiendi in honorem Divi Josephi Sacramenta modicum chartæ quæ sacram illam Juliodunensem Unctionem attigerat deglutivit, foeliciter enititur. Bollandus & Socii in Actis Sanctorum mensis Martii tomo 3. ad 19. Martii in S. Josepho.

VIII. Alias, nec in exiguo numero prætereo februm & aliorum morborum curationes similis chartæ, indusio caelesti, quo supra liquore delibato applicatæ, contactu Julioduni, Lugduni, Trevauci, quæ est Dombensium Metropolis, & alibi factas, ut testatur Pater Barri citatus, tum quia nimia sunt & sunt quotidie novæ, tum ne amplius excurrere, sponfionem prætergrediar, quæ me initio obstrinxit. Non nisi unum aut alterum de quolibet genere exemplum adferre. Cùm & illa quæ attuli sint in diverso genere, ideoque neutiquam contra sponfionem, argumentumque à me propositum id à me exegerit, ut constaret aliquo modo ex illis id quod dixi, Miraculum scilicet à me primo loco relatam, esse fontem perennem aliarum curationum mirabilium. Itaque ad alia transeamus.

CAPUT IX.

Patrocinium Divi Josephi pro Doloribus capitis.

I. **S**OROR Margareta Rigauld Lugduni in Monasterio Sanctæ Elizabethæ professa, ex altiori cœnaculo in infimum domus pavementum decidit, non absque præsentis vitæ discrimine, propter gravem capitis contusionem, quam

indicabat sanguinis copiosa effusio etiam per aures, & omnium exteriorum sensuum usus ademptus. Huic quamvis mors dilata sit adhibitis congruis malo remediis, ipsa tamen ita debilis remansit capite, cunctisque in eo residentibus facultatibus, ut nec requiescere posset, nec caput cervicali admovere per plures ab indè menses, intellectu autem nihil operari nisi maximâ cum difficultate. Itaque Chirurghi Medicique ad consultandum accessit, concordia in hoc omnes inire sententiâ brevi morituram, nisi ultimû maturè adhiberetur remediû, per ipsius cranii apertionem: verum cùm infirma vehementi formidine occupata averfaretur ejusmodi sectionem, illa dilata est ad aliquot dies: Interim Monasterii Superioris consilium incidit longè mitius securiusque: Jubet ut omnes domus Sorores novem diebus ad Sacram Communionem accedant pro infirmæ sanitate per Sanctum Josephum obtinendâ. Pluribus nihilominus diebus eodem in gradu persistere dolores, adeo ut nona Communionis die appropinquante, Sororum aliqua de Sancti Josephi desperantes auxilio, mentionem Sancti Anthelmi iniecerint, cui ejusmodi casus solent haud inutiliter commendari. Non tulit id altera Sancti Josephi Amantior, ad ipsumque majori cum fervore accedens, rogavit ne alio transferri sineret honorem sibi debitum & ut infirmæ succurreret, per quidquid in cœlis magnum earumque possideret deprecata est: addens novemdialem alterum certarum devotionum ac mortificationum pensum eidem se perfoluturam, si convalesceret agra Soror Magareta. Mira res! dum planctus & amicas querelas dicta multiplicat Religiosa apud Sanctum Josephum, & jam postremæ Communionis dies advenit, subito persanata agra continere se non potuit quin dissiliens è lecto per domum quasi mentis impos discurreret atque clamaret: Miraculum, miraculum, sana sum per Divum Josephum, quod res ipsa comprobavit, quandoquidem ab illâ die Chorum cœteris cœperit interesse, non solum corporis sanitatem acceptam

Divo

Divo Josepho referens, sed alios etiam singulares favores quibus ad profectum suum spiritualement ejus disponitur animus, quosque præ illa merito quivis prudens debet æstimare. P. Bollandus & Socii in actis Sanctorum Mensis Martii tomus 3. in Sancto Josepho.

II. In eodem Monasterio circa annum 1630. Religiosa recens profecta tanto capitis dolore fuit oppressa, ut ipsam quietem gravibus semper cruciatibus haberet interpolatam, orationi autem intendere nullatenus posset. Huic Superiorissimæ consilium dedit ut feriâ tertiam per novem vices recursum ad Divum Josephum haberet, in ejus honorem Eucharistico pane se reficeret, ab eoque posceret à tanto incommodo liberari. Paruit illa benè monenti, sed cum quartâ vice recurrens jam dicta feria tertia ipsum quoque Sancti Josephi Festum annuâ revolutione adduxisset, & de laudibus ejus Sacerdos Orator verba in ipsarum Oratorio faceret, priores omnes dolores duplicari sensit tanto cum excessu, ut neque ipsa se in loco continere posset nisi cum maximâ difficultate, neque plenè ubinam esset discernere. Perstitit tamen etiam Concione dimissâ ad communes cum aliis preces, aliud nihil vel dicere vel cogitare valens præter duo hæc verba: *Sancte Joseph.* Quæ cum identidem volveret revolveretque incredibili paulatim perfusa esset lætitiâ, quod tantus esset Sanctus Josephus: abieruntque exinde omnes dolores nunquam deinceps redituri. P. Barri cap. 12.

CAPUT X.

Divi Josephi interventu à presentissima morte liberati.

I. **D**UM in Civitate Antuerpiensi, nobilissimo totius Belgii Emporio, ædificaretur Patrum nostrorum Excalceatorum Ecclesia Divo Josepho dicata, Joannes Westrepius Architectus seu Latomus, dum ibi laboraret, ex eâ ab altitudine sexaginta sex pedum subito

dilapsus, miraculosè servatus est sanus & incolumis per intercessionem Divi Josephi, pro quo tunc laborabat, in ipso lapsu ab eo & circumstantibus intimè invocari: Extat eâ de re Authenticum Diploma Reverendissimi & Illustrissimi Domini Joannis Malderi Antuerpiensis Episcopi datum 28. Maii Anni Dominicæ Incarnationis 1631. à plurimis Authoribus relatum.

II. Anno 1638. Mensis Septembris die octavo Natali Beatæ Virginis sacro, qui anno illo incidebat in feriam quartam, Dominus Petrus Enialvinus honestus Mercator Lugdunensis, concepto ad colloquium Amici sui de gratiis ad invocationem Divi Josephi fieri soliti, proposito cum deinceps habendi Advocatum specialem, ipsiusque Ecclesiam sæpè frequentandi, & in executionem istius pii propositi, auditâ inibi feriis quintâ & sextâ sequentibus Missâ, contigit Dominicâ proximè sequente, quæ erat intra octavam, & dies quintus istius propositi, ut rus pergens animi relaxandi gratiâ, occurreret duobus Viatoribus sibi incognitis, à quorum altero petulantiore nullâ licet e; datâ occasione, sclopeti triginta tragematibus plumbeis crassioribus facti laxatâ rotâ cominus impetitus, & percussus, omnibusque tragematibus in corpus profundè adactis, tribus solum demptis, quorum unum ad frontem complanatum, duo alia pectori adhererant; tãtùm undequaque emisit sanguinem, ut creditus sit à famulo, uxore, quæ occurrit, & illac tunc transeuntibus, mortuus: sed vano timore, Enialvinus enim post tantillum temporis ad se reversus, in illo statu in quo non nisi mors, illaque brevi expectanda videbatur, ex imis præcordiis ad Divum Josephum Patronum suum recentem ingemuit, eique se devotissimè commendavit, adjecto etiam per uxorem suam voto si incolumis evaderet, quod eis tam fœliciter cessit, ut illicò, dictu mirabile: perfectè sanatus rectâ ad Ecclesiam, in quâ eum in Patronum adlegerat Lugdunij, quæ est Patrum Societatis Jesu, venerit; & tabulam votivam ibidem appendi curaverit.

E e e 3

curaverit representantem casum istum mirabilem, & opem sibi ab eo allatam, quem à quinque tantum diebus ibi Patronum & Protectorem elegerat. Ita Pater Barri libro Gallico citato cap. 14.

- III. Istis duobus exemplis sufficientibus ad propositum nostrum, unicum tantum addo ex Omazurino lib de Sancto Iosepho ejusque Antuerpiæ cultu Teutonice conscripto, ac per illud caput hoc finio. Nobilis cujusdam Viri filius lethali ægritudine omnia remedia superante afflictus, urgebat ad extrema, non Medicorum solum, sed sed & omnium judicio: sed pristinae sanitati subito fuit restitutus, postquam firmâ fide Pater pro filio unice dilecto ad probatam multoties Sancti Josephi in Sacello suo Facontino Antuerpiæ pietatem respexit, & confugit. Quare beneficii memor relati Pater latus, in monumentum perpetuum ibidem tabellam appendit atgenteam die 18. Aprilis anni 1651.

CAPUT XI.

Divus Josephus salus naufragantium & iter agentium.

- I. **H**æc gratia, quam devotis suis clientibus exhibet Divus Josephus, debebatur ei non tantum ratione generalitatis patrocinii ejus, quam ei asserimus propter transcendentalia ejus merita, quorum ratione nihil est quod possit ullus Sanctus in ullo genere, & non possit Divus Josephus, idque longè excellentiori modo, sed etiam quia etsi illa ei deesset, debuisset tamen hæc inter alias ei concedi, quia ipse ut puerum & Matrem salvaret, profectus est peregrè in Ægyptum, noctu, tempore hyemali, per viam desertam, in viam & inaquosam.
- II. Neque hoc tantum, sed etiam quia cum potuisset in portu Gaze navem conscendere, unde sine suo incommodo deportatus fuisset in Ægyptum cum factis suis pignoribus Pucro &

Matre: Advertens tamen & Matris valde delicatæ, & pueri tenelluli incommodum à mari, & subveritus fortè periculum ab insequentibus Satellitibus Herodianis, vel Infidiatoribus, si viam Gaza & maris carpsisset, maluit utrumque liberare ab hoc incommodo & periculo, eorumque incolumitati, & securitati proprium suum commodum postponendo, meliori quo potuit modo prospicere, igitur de hæc utraq; gratiâ hic sigillatim.

SECTIO PRIMA.

Divus Josephus salus naufragantium.

Prodigiosissimum est in hoc genere quod refert noster Hieronymus Gratianus lib. 5. de S. Josepho cap. 5. ex Patre Joanne de Fano in historia Ordinis sui Patris Seraphici Sancti Francisci, de duobus Religiosis ex eodem Ordine Sancto Iosepho in paucis devotis, quod adhuc tetigimus Tract. præced. cap. 7. Sect. 4. num. 38. Hi cum se mari commisissent Flandriam versus navigaturi, ortâ subito foedissimâ tempestate, navique ab undis exhaustâ, periire omnes quotquot erant in eâ, periissentque etiam illi duo Religiosi, nisi devotio eorum ad Sanctum Josephum in tam horribili casu oportune subvenisset: atceptâ siquidem ab illis quâdam ex naufragâ Rate tabellâ, cum in eâ tres dies totos & noctes ab undis & ventis jactati, Sanctum Josephum ferventius implorantes, in ultimo vitæ discrimine fluctuassent, tandem ecce super eadem tabellâ in medio eorum juvenem elegantî formâ aspectuque decorum, qui & eos comiter blandèque salutar, & jam quasi viribus deficientes ob inedia bono animo esse jubet, se cis adesse ut illos à præsentî periculo liberet: qui postquam eos in portum asseruisset, cordialissimis ab iis gratiarum actionibus receptis, interrogatus quis esset? placido vultu se esse Sanctum Josephum, quem ipsi in auxilium suum invocaverant, respondit: & eorum oculis evanuit.

In

- IV. In quo miraculo illud observandum, quod Divus Iosephus non tantum piis illis Religiosis adfuit quando in medio eorum apparuit, sed etiam ab initio naufragii, quomodo enim illi in tam horribili tempestate, super tam fragili tabellâ per totum triduum non periissent, qui in ipsâ Rate naufragaverant? Sed noluit se citius visibilem reddere, & eorum liberationem maturare, tum ut duplicaret miraculum, tum ut doceret nos constantiam & perseverantiam in fiducia & spe, partem esse quæ meretur à Deo per Sanctos auxilium.
- V. Omazurinus in libello Teutonico citato aliud refert in hoc genere in hunc sensum: hâc in urbe Antuerpiensi, inquit, mercatores nonnulli Societate inita navem instruxerant mercibus in Hispaniam traducendis onustam, de cuius interitu cum multi non vanis argumentis metuerent, votum pro eâ fecere Domini, & preces communiter in Dominici nutricii Sacello Faentino effudere, si fortè Deus miseris eorum, per huius Sancti merita navim in portum destinatum salvam vellet adducere. Adduxit autem, sed non sine manifestissimo miraculo: uti enim proximis litteris testabatur navarchus, horrendâ tempestate iactata navis, longo æquoris spatio averſa fuerat ab eo quem instituerat cursu: non aliâ autem quam divinâ virtute credebat se, navemque suam periculorâ manifesto subductam, & ad suam tramitem reductam: ideoque mercatores beneficium retulere Divo Iosepho acceptum, & gratitudinis testimonium reliquere anathema hunc in finem ibidem oblatum.
- VI. Post vortices istos aqueos, igneos consideremus, & in his iterum Divi Iosephi auxiliatricem manum. Julius Cæsar Recupitus de Incendio Vesuviano paginâ mihi 25. cum duarum urbium & incolarum repentino flammarum vortice absorptionem enarrasset, omnem dolorem leniendum puravit faultâ commemoratione potentis tutelæ Divi Iosephi, quæ in pueri cuiusdam incolumitate inter tot clades eluxit. Rem istam subijcio ipsius Recupiti verbis, & ut ipsi specta-

tissimæ fidei Sacerdos narravit ex eorum familiâ, qui piè se agrotorum servitio devoverunt; ab oculatis testibus veritatem diligentissimè perſecturatus.

Herculani Urbe amplâ & opulentâ, mulier quædam Camilla nomine, cùm inter fugam adventantes flammâs vidisset, atque effugia interclusa, consilium ab eâ cœpit quæ rebus extremis spem facit desperatione: saltu è rupe se projicit ad littus, & Nepotem quinquennem Iosephum nomine in ipsis plane mortis faucibus coacta relinquere, elatis ad cælum oculis. *Sancte* inquit *Ioseph Iosephum tuum tibi commendo*, nec plura.

Mox tota in fugam incubuit quàm celerrimè litus legens timore pedibus alas addente, atque arenis vix hærente vestigio: ut periculum evasit, subiit jam sui securam prima cura puerulus, quem, quoniam rebatur jam mortuum, flebat primo ætatis flore demesum, & usurâ lucis defunctum quam vix libaverat. Inter ejulatus ac fletus cùm devenisset ad pontem, sub quo inter ingentes fornices tenui Sebethus amne delabitur, compellari se audit; eoque conversa, unde notæ sonum vocis acceperat, Iosephum videt suum, cumque sospitem ac subridentem: Hæsit primò propè saxea mulier præ stupore: tum recepto spiritu, percunctatur quis eò tam multis ereptum periculis perduxisset? Respondit alacriter puerulus, Sanctus Ioseph manu præhensum, per flammâs medias huc ocissimè me duxit incolumem, ubi jam diu te moror. Mulier puerulum amplexata & osculata suum, mœrorem vertit in gaudium, ejulatus in divinas laudes, & gratiarum actiones Divo Iosepho Adjutori. Huc usque Julius Cæsar Recupitus.

SECTIO II.

*Divus Iosephus salus iter
agentium.*

IX. **R**everendissimus & Illustrissimus Didacus de Yopez Episcopus Tarraconensis lib. 2. vitæ Sanctæ Mariæ Theresiæ nostræ cap. 27. narrat eam unâ cum Monialibus Sociabus ab evidentissimo mortis periculo, Divo succurrente Iosepho, liberatam fuisse: Nam cum ad fundationem in Oppido *de Veas* in Hispaniâ in honorem Sancti Iosephi inchoandam Sancta Mater cum aliquot Monialibus curru veheretur, & Auriga viâ regiâ penitens amissâ, per ardua & ac inaccessa præcipitia iter arripuisset, metuq; gravissimo petcellerentur Sociæ: sic eas ipsa allocuta est. Eia filiæ & amantissimæ sorores, hoc solum habemus residui ut oculos nostros ad Dominum humiliter convertamus, Sanctissimiq; Iosephi cujus causa in hoc discrimen devenimus, patrociniū deprecemur, atque in hoc tanto periculo illius auxilium imploremus. Ut dictum, ita factum. Nec morâ è profundissimâ voragine vox audita est humana hunc in modum exclamans, *sistite, neque ulterius progrediamini, alioquin in præcipitiū omnes simul peritura abitis.* Cumq; ille cujus vox percipiebatur, ab illis ultra quid faciendum esset rogaretur, iussit omnes versus partem unam quæ quidem non minus periculosa videbatur pedetentim iter arripere. Cum ergo jam se periculo ereptas cernerent atque hominem inquirerent, ut debitas ei pro consilio gratias agerent, Sancta Mater divinitus agnoscens beneficium, & lachrymis perfusa, Sanctimonialibus suis asseruit frustra ab Aurigis illū quæri: fuit enim inquit (Sanctissimus Pater meus Ioseph, qui nos his periculis liberavit.) Quod & ipse postea probavit rei eventus. Nam etsi ad voraginis usque profundum descenderint ut Consiliarium detegerent, neque hominem, neque hominis vestigium invenerunt. Hæc Episcopus Tarraconensis.

Aliud habet Didacus de Aranda de quodam pio Monasterii Montis-Serati Religioso. Hic præ cæteris religiosus venerabatur Divum Iosephum, maximè verò afficiebatur ei ex consideratione itineris ipsius & laborum ab eo exhaustorum, dum cum Puerō & Matre secederet in Ægyptum: quod sanè ipsi utile, Sancto Iosepho gratum fuisse, sequens declarat eventus. Peregrè cum rediret ex longiori itinere ad Monasterium suum ingruente vesperâ, atque à rectâ viâ deficiens per asperas illas cautes Monasterio vicinas, aberrare inciperet, ut jam noctem sibi subdicio agendam non absque metu ferarum illic frequentium crederet: Ecce subito virum conspicit, qui Nobilem Marronam Filium in ulnis gestantem, asinoque insidentem ducere videbatur. Hoc occursum recreatus pius ille Religiosus, plus etiam consolationis accepit, cum de viâ vir ille interrogatus, sequi iussit, ducturum se ad locum requisitum. Ita inter mirificæ suavitatis colloquia ad vicum pervenit, quò intendere, ubi gaudium ejus citò in stuporem versum est, non comparentibus usquam iis quos viæ duces comitesq; habuerat. Neque aliud subit animum cogitare, quàm Sanctum suum Patronum Iosephum cum fuisse, qui hoc ei schemate & comitatu apparens, declarasset haud vano indicio gratum se habere ejus obsequium & devotionem.

Similem opem expertus est etiam ex Ordine PP. Capucinatorum eadem Sanctissimo Patriarchæ maximopere affectus R. P. Hieronymus de Pistorio, qui cum semel iter agens à viâ declinasset, & per sylvas ac deserta nocte interceptus aberraret, in genua provolutus ei se intimè commendavit: Necdum orationem absolverat, cum eminus lumen deprehendit ad quod rendere decrevit cum socio suo: cumq; eò pervenissent, Tugurium invenerunt & in eo virum cum muliere & infantulo, qui ipsos perhumaniter excipientes introduxerunt, eisq; potum & cibum, ac deinde stratum exhibuerunt: sed mane factò evigilantes mirabiliter obstupuerunt, dum hospitium & hospites disparuisse, seque in medio

medio Prati amoenissimi constitutos esse adverterunt. Ita Flores Scraphici in Apparit. B. V. pag. 8.

CAPUT XII.

Patrocinium Divi Iosephi in doloribus calculi.

I. **I**N hoc morbo satis frequentissimi maxime se Divus Iosephus invocatus reddit propitium, sine dubio propterea quod ad illum sæpius deficiunt remedia humana: Quamvis autem in hoc genere creberrima sint ubique ejus auxilia, sola tamen illa referre mihi sufficiet quæ in *Æde* ejus miraculosâ Facontina Antuerpiæ, quæ est Ordinis Canonissarum Regularium Sancti Augustini patrata sunt, ex Omazurino in libello Teutonico de Sancto Iosepho ejusque Antuerpiæ cultu. Igitur ad rem.

II. *Henricus vande Sanden* octodecim annorum adolecens filius *Joannis vande Sanden & Margarete Vasseur*, calculi doloribus acutissimis biennio toto excruciat, præcipuè autem anno 1639. à Festo Sancti Joannis Baptistæ usque ad 16. Augusti, ita ut nec quiescere, nec dormire posset, & *Lazarus Marquis*, expertissimus Medicus nullam ei ab humanâ virtute amplius sperandam sanitatem judicaret, materno admonitu commendavit se Divo Iosepho; atque ad ejus Sacellum Facontinum accessit, ubi cum pias preces & vota ad Sanctum fundit, subito magnâ cor suum premi angustia sentiens, egredi festinavit, atque ad reddendam urinam secedens unâ cum illâ duos quadrangularis formæ lapides emisit, eâ magnitudine, ut digiti auricularis articulum unum adæquarent, neque ab eo tempore quidquam amplius istius molestiæ sensit, sed in hodiernam diem sanus persistit.

III. *Elizabeth Sillevorts* 16. ætatis suæ anno Facontinarum associata cœtui, jam quadragesimum secundum attigerat, extremis tribus, totidemque mensibus, usque adeo gravata concreto intra vesicam calculo, ut urinam,

eo præpediente, emittere nunquam nisi per cruciatos extremos posset, toto corpore tremens ac sudans dum se exonerare nitentur, sæpè etiâ febres è tormento tali tantoque patiens. Quare deputandæ duæ ad ejus obsequium sorores fuere, quæ corporis agitationem nimiam in eo articulo prohiberent, misellam hinc inde sustinendo: Interim læsis tam insolitâ violentiâ meatibus, jam toto sæqui anno retentivam amiserat facultatem, & quidquid ei defluebat postremis tribus, quibus sic afflicta fuit septimanis, purè foetentissimo turbidum, vitium exulceratæ indicabat vesicæ. Ita cum ad extremum febres accretissent, & exhaustis viribus prorsus debilem reddidissent, conclamatum de vitâ ejus pronuntiarunt Medici, quandoquidem neque Chirurgica sufficere poterant instrumenta ad exemptionem lapidis tam enormiter grandis, quantum esse monstrabant indicia, neque Medicinæ ad ejus dissolutionem per sæquiannum adhibitæ, neque aliæ solis doloribus mitigandis altero sæquianno præparatæ, quidquam proficerent: Omni igitur humanâ spe destitutam se videns, meliorem sibi in cœlo medicum quæsit, totamque spem suam in Sancti Iosephi meritis apud Deum reposuit, pridem erga eundem non modicè affecta: ut autem auxilium ejus mereri posset, diù noctuque gestare constituit cingulum sub illius invocatione benedictum, cumque vehementissimus urgeret dolor laboranti parti applicare, addens de Superiorum consensu quidquid vel per se facere ipsa, vel curare per alios poterat piorum operum, sacrificiorum, mortificationum, atque votorum, tantâ cum fiducia, ut cum preces precibus, novenas novenis, vota votis, etiam per omnem vitam obligaturis adderet, non vereretur matri Priorissæ dicere, certa esto mater, quod auxiliante S. Iosepho meo ipsum tibi lapidem vivens ac sana in manus sim traditura.

IV. Ergo cum intendisset quantum poterat devotionis affectum, & decimo die Junii anni 1649. suis & sororum perfusa lachrymis, inter cruciatos intolerabiles, & sustentantium sociarum manus,

fff

manus,

manus, genuflexa coram imagine Divi Iosephi persisteret, per consuetos irinæ meatus ultro descendit tantus lapis, quantum maximum ovum Gallinæ, quem ipsamet manu suâ extrahens, in manum tradidit Matris Prioris, ut multoties ei tam asseveranter promiserat se facturam: & exinde sanâ & incolumis si quæ alia toto tempore vitæ suæ mansit, lapide in Sacello præfato Divi Adjutoris Facontino appenso ad perpetuam miraculi tam memorabilis memoriam, ubi cum stupore ab omnibus cernitur.

V. Anno 1654. matronæ cuidam filiolus erat quadrimus, & ipse ab arenosâ concretionem extremè afflictus, cui præmissâ exploratione consuetâ, sectionem meditabatur chirurgus tentandam intra dies perpaucos: verum cum interea intellexisset Mater quam miraculosum sese Sanctus Iosephus ostendisset in ejiciendo illo, quem mox diximus, lapide, plena fiduciæ ad eum properavit Sacellum, precibusque ibidem pro sanitate filii sui ardentem effusis, domum rediens, puerum, quem inter cruciatus reliquerat, vitæ mortisque vel sperandæ vel metuendæ ambiguum, prorsus sanum reperit.

VI. Anno 1660. vir perquam honestus sextam hebdomadem lecto affixus decumbebat, & nihil proficientibus medicinis, inter mortuos, penè jam numerabatur propter impotentiam solvenda urinæ: qui demùm postquam ad Sanctum Iosephum in valle Facontinâ mirificum, spem animumque crexit, calculum egressit, & quod animo proposuerat, opere executus, plenam habuit sanitatem.

VII. Eodem anno 1660. mulier quædam gravissimos è calculo dolores patiens, animi sui propositum de implorando in Valle Facontinâ Divi Iosephi Patrocinio ad medelam, Confessario suo aperuit: Et hic quidem ad id se confessione præviâ preparantem, conatus est devotionem illius avertere ad aliquem alium Sanctum, cuius & eisdem Reliquias eodem tempore tradidit: verum illa, citra contemptum ejusquam, scrupulo sibi ducens alium præ Sancto Iosepho habere quantumvis magni nominis ac virtutis Sanctum,

perseveravit in eo solo, ut proposuerat, invocando, & intra breve tempus, emissis duobus calculis, omni dolore se liberam sensit.

Plura non addo quæ ab illo tempore quo hæc Omazurinus citatus recensuit ibidem contigerunt, alia quoque innumera sileo, quæ ab aliis etiam in hoc genere referuntur alibi facta: Cum enim hæc sufficiant ad propositum nostrum, nolo excedendo sponsonem meam initio factam, onerare Lectorem.

CAPUT XIII.

Patrocinium D. Iosephi contra Pestem singularissimum.

CERTUM est mala corporalia, quocumque vocentur nomine, quæ particularibus eveniunt personis, esse æquifimè signa peccati & propter illud effectus iræ Dei: patet in illo languido Joan. c. 5. cui restitutâ sanitate dixit Dominus JESUS. *Vade & noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Non tamen semper: unde Christus sciscitantibus de cæco nato Apostolis, *Quis peccavit hic an parentes ejus ut cæcus nasceretur?* Respondit neque hic, neque parentes ejus, sed ut manifestetur opera Dei in illo.

Et patet in Abele justo, ab impio fratre Cain in ipsis mundi cunis interfecto: in Iosepho Ægypti pro-Rege Gloriosissimo, à scelestis fratribus per invidiam in servitutem vendito, per Heram impudicam in carcere posito, & per plures annos detento: In Jobo patientissimo, ex Principe usque ad sterquilinum prostrato: In Daniele Prophetâ illuminatissimo, in lacum leonum misso: In Joanne Baptistâ Prophetarum maximo, ab Herode capite diminuto: In Sanctorum Innocentium grege, ab altero Herode loco Christi encato.

Sed quoad mala communia qualia sunt bellum, fames & pestis. Certum est illa nunquam evenire nisi ob peccata populorum, quamvis illis etiam boni involvantur ob rationes Deono-

Magnalia
D.
Iosephi
S.V.

ras. Probat hoc sexcenta Sacrae Scripturae loca, ex quibus duo tantum produco. Primum ex Isaia cap. 42. v. 24. & 25. *Quis dedit in direptionem Iacob & Israel vastantibus? Nonne Dominus ipse cui peccavimus? & noluerunt in viis ejus ambulare. & non audierunt legem ejus: & effudit super eum indignationem furoris sui, & foris bellum, &c.* Secundum ex Danielis cap. 9. vers. 11. *Omnis Israel praevaricati sunt legem tuam, & stillavit super nos maledictio.*

IV. In his flagellis multum possunt Sancti & Amici Dei. Hinc Deus Exod. cap. 32. vers. 10. Moyse ait: *Dimitte me ut irascatur furor meus.* Quasi ille Vir Dei Deum teneret ligatum, ne percutere posset gentem istam peccatricem. Abraham similiter: Nam paratus Deus incendio perdere Pentapolim Ditionem ita dictam à quinque Urbibus, quarum praecipuae Sodoma & Gomorra, dixit Dominus Genes. cap. 18. *Num celare poteram Abraham quae gesturus sum? dixit itaque Dominus clamor Sodoma & Gomorra multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis, &c.* Tunc Abraham causam eorum agens, locutus est pro eis apud Dominum dicens: *Numquid perdes justum cum impio? Si fuerint quinquaginta justi in Civitate, peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta justos si fuerint in eo? Cumque Abraham in eorum defensione apud Deum progrediendo, à quinquaginta istis descendisset paulatim usque ad decem, respondissetque Dominus ad hanc propositionem, ut ad praecedentes, quod non deleteret, si in ea tot inveniri possent: subdit Scriptura, *Abiit Dominus postquam cessavit loqui verba ista, ad ultimam scilicet istam Abrahamae propositionem.* Ubi observat Cardinalis Cajetanus ideò hoc dici & notari à Scriptura, ut innuat, quod si tardasset Dominus abire post verba ista, salva fuissent Sodoma & Gomorra, & aliae tres Urbes, quia Abraham descendisset usque ad quinque, qui inventi fuissent, scilicet Abraham, Loth, Uxor, & duae Filiae ejus, & Patrocinnante ulterius Abrahamo, non potuisset, ut ita loquat, illi reculare Deus.*

Ex quibus quam prudenter illi faciant qui in causis illis ad Sanctum Josephum omnium Patronorum potentissimum apud Deum recurrunt pater. Hoc pro peste, de qua nobis hic sermo, experta est Civitas Avenionensis Papalis amplissima, opulentissima, & populosissima, in illa ultima peste quam passa est, quae in ultimum ejus exterminium desavire videbatur, cum omnia quae ad ejus remedium excogitari poterant, diligentissime exquisita & allata, non illam extinguere, sed magis ac magis ut oleum flammam accendere conspicerentur.

V. Cum ergo nullus amplius dubitare posset pestem hanc ita grassantem, & tot in singulos dies ad exterminium tantae Civitatis capita demerentem, flagellum esse irati Dei, omnes omnium Ordinum convenientes cogitarunt converti ad aliquem Sanctorum, qui pro ipsis indignis apud Deum iratum intercessor accederet, veniamque pro eis deprecaretur & misericordiam: Et vota ceciderunt in Sanctum Josephum felici omine, quem omnes uno corde elegerunt Civitatis afflictissimae Protectorem & Sospitorem: Consequenter ab omnibus publicum & solemne factum est votum de observando impostum illius Festo: in quo Avenionenses, & Praeceptum Urbani VIII. & omnes alias Civitates saltem Europae nostra praecesserunt, & eodem momento dirus ille carbo deferbuit, cessavitque horrenda illa lues summam & inexplicabili Civitatis istius adgratulatione. Ita P. Barri lib. Gallico citato cap. 12.

Civitas Lugdunensis non diu post, VI. anno scilicet 1638. eadem lethali lue infecta, Avenionensium recordata nuperam liberationem, eorum exemplum sequi expediens sibi judicavit. Ad Sanctum ergo Josephum in ea quoque necessitate unice recurrerunt Lugdunenses, nec dissimili effectu, nisi ex ea parte qua malum apud hos non ita invaluerat ut apud Avenionenses, quia scilicet citius illi ad Sospitorem cucurrerunt.

VIII. Libeat hac super re unius ex ejus Civibus testis fide dignissimi ipsissima Gallice

verba proferte, conversa tamen è Gallico idiomate in Latinum: Hic est R. P. Paulus Barri è Societate IESU notissimæ pietatis Vir in Libello suo toties à me hoc Tractatu citato, quem librum quantum quidem arbitror huius occasione incolumitatis suæ Civitatis, aut saltem maximâ ex parte vulgavit, cum illum vulgarit anno immediatè hanc liberationem sequenti. Sic itaque ille ibi cap. 12.

IX. Si cætera admirandarum curationum genera quorum ego conscius sum, & testes in Templo nostro (Societatis IESU) videntur tabellæ, hæc recensere vellem, longius me provehî necesse foret quam instituerim: novi enim complures quos Sanctus Iosephus invocatus cruciatibus magnis, periculosis febribus, fluxu sanguinis molesto, atque aliis incommodis voto facto exauditos liberavit: Nequeo tamen præterire ipsius in hac postremâ Civitatis Lugdunensis pestilentia auxilium.

X. Nempè quia Avenionensis Civitas antè decennium ab extremâ, quam contagio minabatur, desolatione liberatam se gavisâ est, postquam de observando Divi Iosephi Festo factum esset publicum votum, valuit apud Lugdunenses exemplum, ut simili in necessitate ad ipsam recurrerent, & apud ipsum Sanctum valere piæ supplicantium preces. Non enim tantum ex tunc innumeri sanati sunt, sed insuper fœda illa lues cessavit, & ipsi, inquit idem P. Barri, qui publicâ electione creati sunt sanitatis Præfesi, qui se omnes etiam in particulari voto adstrinxerant Divo Iosepho, singularem quoque ejus opem experti sunt: quamvis enim ratione sui muneris, & expositæ horis singulis charitatis, in quotidiano versarentur discrimine, nemo tamen eorum, ac vel unus quidem tactus est. Ideoque pariter omnes ad Templum Sancti Iosephi venerunt, ubi post Sacras Exomologesim & Synaxim cereos suos D. Iosepho sospitatori obtulere, ei devotissimè gratias agentes de conservatâ sibi, redditâ Civitati, sanitate.

CAPUT ULTIMUM.

*Anacleta seu Mica aliorum
Divi Iosephi miraculorum
ex omni genere.*

EMITUIT adhuc efficacitas Patrocinii Divi Iosephi in conciliandis honestis matrimoniis. Nam primò quidam in Civitate Antuerpiensi ingenuus juvenis, cum Domicellam deperiret honestam, videns omnem sibi spem illius obtinendæ præcisam, eoquod Parentes Puellæ illam ab eis petenti absolutè recusarant: consternatus ad Divum Iosephum se convertit, Ecclesiamque nostrorum Excalceatorum ejusdem Civitatis adiit, ubi quam devotissimè potuit illi se commendavit, cum enixissimè orans, ut suo interventu Dominus Deus corda Parentum Amariæ suæ tangere dignaretur & mutare.

Dum hæc ille ferventius oraret (quod fuit in festo Sancti Iosephi) parentes puellæ qui ibi fortè cum frequentia aderant, juvenem istum tam devotè precantem conspicati, compuncti sunt, subiitque amborum animum isthæ cogitatio, verè hic bonus juvenis tam devotè precatur, ut certissimè melius facturi simus, ei tradendo filiam nostram, quam alteri quem ei præferimus, licet hic non ita locuples sit ut ille: sicque domum reversi, quod seorsum quisque apud se de illo cogitaverat communicat, seque invicem confirmantes, proponunt si redeat iterum iste juvenis illi filiam suam tradere. Implorato ergo Divi Iosephi patrocinio, & devotione absolutâ, reversus est juvenis ille non multò post ad Parentes puellæ iterum tentaturus fortunam, & experimentum facturum quid sibi profuisset suus ad Divum Iosephum recursus: & invenit omnia mutata, obtinuitque quam primùm eam quam tantum concupierat, fœlixque fuit per omnia ut parentes puellæ prælagierant illud matrimonium. Ita Author Anonymus è Societate Iesu, libro cui titulus Gallicè

Saint

Saint Joseph Fidele Advocat en la vie & la mort.

Secundò, mercatori quoque cuidam urbis Lugdunensis in Gallia post elemosynam aureorum centum in honorem Divi Josephi promissam & erogata, amorem conciliavit desideratæ puellæ, quæ ante nec mentionem quidem ejusmodi nuptiarum coram se fieri patiebatur. Ita P. Bollandus cum sociis in actis Sanctorum mensis Martii tom. 3. in Sancto Josepho §. 12. ad finem.

III. In zelotipiâ, quæ conjuges pessimè urit, & conjugem in tortorem vertit, singulare esse D. Josephi Patrocinium experti sunt quam plurimi, hos inter quædam ex illustrissimâ familiâ domina, quæ maritum habebat usque adeo hæc passione laborantem, ut nec patientiâ suâ, nec quibusvis etiam fortioribus fidelitatis suæ argumentis & demonstrationibus ipsum sibi devincire, eâque tam indignâ passione liberare posset, ut domesticâ pace frueretur. Cum ergo eum eo usque abrupisset phrenesis ista, ut toti civitati irrisui esset, nec ullâ ratione ejus animus sanari posset, ad Sanctum tandem Josephum recurrit mulier afflictissima, qui ejus miseratus ita subito mariti mentem immutavit, ut evanescentibus omnibus suspitionibus ab inde in summâ pace, unione, & concordia cum uxore suâ vixerit. Ita Augeri lib. Gallico cui titulus, *L'Épiphanie de S. Joseph.*

IV. Eandem quoque polliceor opem omnibus aliis in simili occasione, si, ut illa, ad purissimum illum Virginis Sponsum devotè recurrant: in hoc enim puncto adhuc præcipuè opitulari posse meruit, propter illam turbationem, & animi angustiam, quam passus est, dum post aliquot menses à desponsatione, videns uxorem suam gravidam, quam non tetigerat, voluit occultè dimittere eam, ut propterea hæc eâ cogitante meruerit à Deo relevari per Angelum sibi apparentem, & dicentem, *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in eâ natum est de Spiritu sancto est.*

V. Conjugibus quoque sterilibus, & prolem desiderantibus sepius adfuit D. Josephus: in quibus mulieri cui-

dam, quæ post duodecimum annum sterilitatis, Bruxellis ubi habitabat Antuerpiam venit, ubi S. Josephi Sacellum in valle Facontinâ piè visitans, ut sibi proposuerat, cum ex intimo cordis affectu per illius intercessionem prolem à Deo poscit, insolito modo sensit commoveri viscera sua: indeque domum bono animo reversa, ad primum viri sui congressum concepto semine grvida, legitimo tempore enixa est filium, quem rursus Antuerpiam regressa Divo Josepho stitit ut Parrono suo. Ita Bollandus cum sociis suis loco citato ex Omazurino cui aliud simile refert P. Barri lib. cit. cap. 13. ad finem.

VI. Contra morbum Canceri etiam efficaciter invocatur: puella namque pauperula quædam à Medicis judicata incurabilem in Mammillâ alere qui cruciatus ei pariebat intolerabiles, lachrymas cum precibus Sancto Josepho in præfato ejus Sacello Facontino cum fudisset, vovissetque eum quotidiano internæ externæque pietatis cultu recognoscere, si ejus interventu ab istâ infirmitate liberaretur, ex eo momento nullum amplius sensit ibi dolorem, quod ipsa sanctè affirmavit atque etiam testimonium suum 23. Maii anni 1661. iteravit: ita Omazurinus citatus.

VII. Apoplectici quoque eum experiuntur sospitorem. Nam vir quidam illustri omnibus corporis membris apoplecticus, ad Sacellum Facontinum deportatus, eorum expeditum usum in eodem recepit: quod & inspectores testati sunt & ipse, ex hoc quod redditus sanitati se effusè liberalem erga pium istum locum ostenderit, Ita iterum Omazurinus.

VIII. In necessitate constitutis & ad penuriam redactis subvenit: Nam primò, pia quædam Virgo diuturnis forensium tricarum difficultatibus implexa, & litibus præter jus æquumque pressa, post insignè gratitudinis monumentum Sancto Josepho promissum, rationibus prorsus admirandis fuit expedita, & suis adversariis abloluta. Ita idem Omazurinus ibidem.

Secundò, alia quædam persona in virtute satis exercitata, non multis ab

hinc annis cum ratione extremae necessitatis esset valde perplexa, postquam se commendasset omnium auxiliatori Divo Josepho, mane facto evigilans invenit in lecto suo catenam auream quam vendidit, & ex ejus pretio plene subvenit necessitati suae. Ita Author è Societ. Jesu Anonymus lib. Gallico, cui titulus: *Saint Joseph fidele Avocat en la vie & en la mort*, ex Hebdomad. sacrâ S. Joseph. feriâ 5.

XI. Monialium Congregationis Verbi Incarnati Praefecta, gravi oculorum infirmitate annis pluribus affecta, infirmitate ita crescente, ut iisdem obtenebratis, legere nihil jam amplius posset, cum malum incurabile judicarent experti, votum potentiori fecit Medico D. Josepho, se quotidie per anni circulum parvum ipsius recitaturam Officium si sanitati restitueretur, & subito voti compos facta est. Ita P. Barri cit. cap. 12.

XII. Anno 1662. puella quaedam miserabiliter affixa lecto propter colicæ calculique commixtos dolores, rogavit matrem ut in Sacello Divi Josephi Missæ Sacrificium pro se celebrari curaret ad ejusdem Sancti honorem, ipsaque ei assistens eundem Sanctum pro se oraret: Quod dum fit in suavem ægra lapsa soporem placidissime requievit, deinde exspectata maximam arenas vim egressa, nullum prorsus perferens dolorem: & revertenti à Missâ Matri hilariter narrat depulsam suorum causam dolorum, Deo ejusque Sanctissimo in tertis Nutricio, cuius meritis se sanatam læta profitebatur, debitas reddens gratiarum actiones, vegetaque ab inde citra ullum tormenti prateriti vestigium perseverans. Ita Omazurinus citatus.

XIII. Cuidam mulieri filius erat duodecimannorum, qui cum ab annis quatuor factus esset mutus, nec ullum huic malo remedium invenire potuisset apud homines, invenit apud Sanctum pia Mater, vix enim cum invocaverat pro filio, cum solutum est vinculum linguae ejus, & loquebatur rectè magnificans Deum. Ita Augeri citatus.

XIV. Puellula etiam in Civitate Antuerpiensi quæ septem annos nata, nec dum verbum profere potuerat, do-

num loquendi recepit per intercessionem Divi Josephi à parentibus exorari in ejus ibidem Sacello Facontino anno 1653. in Festo ejusdem. Ita Omazurinus.

Anno 1664. in eodem Facontino Sacello clauda ab utero Matris puella, & quæ nonnisi fulcris subalaribus sustentata per sex annos inceserat, similiter & parvulus anno 1666. natus claudus, gradiendi perfectam obtinuerunt facultatem Divi Josephi interventu, fuis inibi ad eum devotis precibus. Ita Omazurinus citatus.

Mercator quidam qui materiam pro vestimentis Ursularum Monasterii Divionensis suppeditabat, cuius Priorissa erat tunc Venerabilis Mater Margareta à Sancto Xaverio honoris Divi Josephi zelantissima, ex longâ molestâque febrî ad mortem vergens, & Extremæ-Uinctionis Sacramento munitus, statim ut in manibus suis accepit Divi Josephi imaginem sibi ex parte istius Venerabilis Matris, in se ipsa pluries expertæ opem Divi Josephi presentatam, camque perdevotè osculatus est, sensit illico se melius habere, & intra paucos dies continuatâ ad Divum Josephum devotione perfectè sanatus est. Ita P. Coret è Societate Jesu Ecclesiastes insignis in suo Tract. Gallico de S. Josepho part. 2. praxi 2.

Similiter Parens unius Monialis ejusdem Monasterii Ursularum Divionensium septuaginta duos annos & amplius natus lecto affixus erat ex febre continuâ, cum iis symptomatibus ex quibus judicabant Medici fuisse toxico infectum. Cumque nihil proficerent omnia quæ potuerunt excogitari remedia, eadem Venerabilis Mater Margareta à Sancto Xaverio novemdialem pro eo instituit cum suis Monialibus ad Sanctum Josephum devotionem, missâ similiter ad egrum ejusdem Sancti Imagine, qui statim convaluit, publicans ubique se favore Divi Josephi vivere. Idem P. Coret ibidem.

Sed quid opus est tam multis? quid tam variis in diversos homines collatis beneficiis ad probandam incomparabilem Patrocini Divi Josephi universalitatem

Magnalium
D.
Josephi
S.V.
1718

versalitem' in unicâ Sanctâ ac Seraphicâ Matre Theresiâ nostrâ omnium penè quæ desiderari possent, in quovis genere habemus exempla: Hæc enim in lib. vitæ suæ cap. 6. refert se miraculosè sanatam à vehementissimis & periculosissimis morbis quibus annis tribus cum dimidio divexata, atque à Medicis desperata jacuerat: erant hi non tantum gravissimi, sed etiam plurimi, ut potè quorum novem aut decem per se singuli sufficerent ad inferendam ei mortem, à quibus tamen Mediatore Patre suo amantissimo Divo Josepho perfectissimè fuit liberata. Vide adhuc eandem S. Theresiam ibidem cap. 32.

XIX. Eadem Seraphica Mater ibidem cap. 23. Cùm semel, inquit, in magnâ eadem necessitate constituta, nescirem quæ prorsus quid deberem agere, vel undenam operariis mercedem persolvere, Sanctus Iosephus verus Pater ac Dominus meus mihi apparuit, bonoque animo esse iussit, spondens pecuniam nequaquam mihi defuturam, ac proinde cum operariis meis incunctanter de stipendio diurno convenirem: quod & feci, ne obolum quidem in promptu habens: Porro Dominus meus iis mihi modis de omni pecuniâ necessariâ providit, ut quicumque intelligerent non possent non summo pere obstupescere.

XX X. Reverendus P. Franciscus Ribera è Societate Iesu Doctor Theologus lib. 3. vitæ ejusdem Sanctæ ac Seraphicæ Matris cap. 9. scribit ipsam interventu Divi Iosephi ab icu rotæ cuiusdam in terram violentissimè prostratam non sine miraculo illæsam evasisse.

XX I. Idem Author cap. 14. testatur mirabili quâdam ratione eandem Sanctam Matrem ipso Divi Iosephi Festo Burgensem Conventum obtinuisse tamen diu frustra eâ in re esset allaboratum, & perexigua spes affulgeret illius obtinendi: Verbo una ipsamet Sancta Mater lib. vitæ suæ cap. 6. *Non memini, inquit, me rem ullam usque modo eum rogasse, quam non adimpleverit: Mirumq; est quam magnas gratias per hunc Sanctum à Deo acceperim, & è quantis tum corporis, tum animæ pe-*

riculis erepta sim.

His mihi videtur addendum quod XXII. sequitur recentis datæ. Obsessâ fuit derepente anno 1683. quo hoc Opus finio Mensis Julii die 13. ab exercitu Turcico formidabili militum totius Imperii Ottomanici selectorum Vienna Austria & Imperii Capitalis, Residencia Cæsaris, oppugnata fuit vi & arte maximâ septimanis novem totis, & pari modo, idest cautè & fortiter propugnata, doli doli, vis vi repulsâ ab Excellentissimo & Generosissimo Comite de Starembergh ejusdem Gubernio & Defensionis tunc à Cæsare submisso. In hac occasione, INNOCENTIVS ODESCALCVS PONTIFEX, LEOPOLDI AVGVSTI FORTVNE PERICLITANTI QVA VOTIS, QVA OPIBVS, VT OPORTVNE, ITA PIE AFFVIT. Pontificem exhortantem reveritus IOANNES TERTIVS SOBLESQVVS REX POLONVS TVRCICI FASTVS VICTOR INVICTVS LACERATI IMPERII RESTITVTOR AVGVSTVS cum Celsissimis Principibus Baviaræ & Saxoniar Electoribus tulit Cæsari suppetias. Sed quid hæ Copiæ ad Turcicas? erant Turcæ ad Imperiales & Auxiliares in numero facile tres contra unum: Liberata tamen est Vienna 12. Septembris sequente ab hæc tam impari manu, cæsis sine numero Turcis, reliquis in turpem fugam omni apparatu Victoribus relicto fuis, victoriâ tali quâ nulla similis. Quis dubitavit hanc victoriâ fuisse plusquam humanam? nullus quod sciam: à Domino ergo, qui potest salvare & salvat quando vult in paucis ut in multis, factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Psal. 117. vers. 23. Sed ad cuius interventionem, aut à quo placatus Deus? Scio Orbem Christianum ad ipsum in hac tam urgente anxietate recurrissè, & supplices ei manus tetendissè, sed est ne propterea ad meliores mores conversus? notum est eidem Orbi, cui loquor. Quid ergo movit Deum qui non placatur motu labiorum, sed mutatione cordium, ut hanc nobis victoriâ tam mirandam concederet? Dicat unus quisque quod voluerit, existimo ego hanc nobis à Deo datam

IVVANTE IMPERII TVTELARI NO-
VO CASTÆ DEI PARENTIS VIRO.
Quid ni ? an Religiosus sim & non
existimem Divum Josephum afflictio-
nem Devotissimi Imperatoris nostri
Leopoldi respexisse, quem nuper, hoc
est anno 1675. de nutu Sanctissimi
Domini nostri D. Clementis Papæ X.
Imperii singularem Patronum ad-
legerat & Protectorem, cum tanto
zelo ut alios etiam Germaniæ Prin-
cipes ad idem impensissimè exhor-
tatus sit, & inter alios Serenissimum
Electorem Coloniensem, Episcopum
& Principem nostrum Leodiensem ad
suas partes pertraxerit juxta dicta supe-
rius Part. 1. Tract. 1. Pro lud. 2. pag. 4.
Quis enim non credat in hâc primâ,
quæ à tradito per Cæsarem in ejus
Chontelam Imperio se obtulit ejus-
dem Imperii angustia, in qua de sum-
mâ rerum agebatur, eum oculos suæ
pietatis coniecisse in hos suos novos
Clientes, eum pro hâc causâ commu-
ni enixè rogantes ? aut Deum, quo ins-
pirante illum Patronum elegerant,
respexisse faciem Divi Josephi, & hoc
orante, illo operante, victoriâ tam ad-
mirabili Imperium jugo adedò horri-
bili liberatum ? non dubito ego, faciant
alii ut voluerint.

XXII. Nec mihi videtur fuisse necessarium
ut Deus aliquo visibili ostento indica-
ret particulariter hanc victoriâ ei
tanquam interventori adscribendam,
cum res esset tam clara, attentis iis que
jam jam diximus de ejus in patronum
electione, quemadmodum nec fuit ne-
cessarium, attentâ virium utriusque
partis inæqualitate etiam hîc expositâ,
simile ostentum, ut Deus se illius ma-
nifestaret speciali modo Authorem.
Quare nunc justissimè symbolo Otto-
manico, quod est Luna Bicornis, cum
hac superba nimis Çigraphæ, crescet
Donec rotum impleat Orbem; appende-
re possumus ad majorem Dei & D. Jo-
sephi, illius ut victoriæ tantæ Autho-
ris, hujus ut interventoris gloriam,
hæc duo Chronographica anni ejus-
dem victoriæ.

VAH QVASSATA EST LVNA NON
VENIET AD PLENIVNVM,
AVTHORE DEO, INTERVENIENTE
PRECIBVS IOSEPHO IMPERII
TVTELARI NOVO.

Huic materiæ de Divi Josephi mira-
culis immensæ finem imponat R. P. XXIV.
Antonius à Matre Dei nostrorum Ex-
calceatorum Provinciæ Belgicæ Pro-
vincialis Tract. Gallico cui titulus :
Thresor inestimable, &c. part. 1. cap. II.
ubi hæc ille: Licet nonnisi unam co-
rum partem describere vellem quæ o-
culis ipse meis hausi mirabilium ad
Divi Josephi invocationem patratio-
rum, vel illorum quæ ex ore eorum
mer ipsorum, qui beneficiis ejus mi-
rificis recreati sunt, audivi, eorum al-
terum mihi sufficeret ad ingentis com-
pilationem voluminis. Quare illud so-
lùm dicam generatim novisse me plu-
rimos morbis, qui ab ipsis Medicis
censebantur incurabiles, affectos, in
quibus majorem suæ substantiæ par-
tem inutiliter consumpserant, qui il-
lis relictis, voto Divo Josepho facto, vel
aliquâ particulari devotione in ejus
honorem susceptâ, statim sanitati re-
stituti sunt: vidisse me plures mutos
qui loquelam receperant: alios Epi-
lepticos, alios dementatos (quo tamen
in genere rarissima inveniuntur mira-
cula) alios malis afflictos aliis, quibus
nullum supererat remedium huma-
num, qui statim ut vel ipsi, vel si non
poterant ipsi; eorum parentes aut pro-
pinqui, vel toto se Divo Josepho ob-
strinxerunt, vel aliquam in ejus hono-
rem exercuerunt devotionem, fuerunt
perfectæ redditi sanitati: sed super
omnia vidi miraculum miraculorum,
id est vitam per eundem Sacti interces-
sionem mortuis redditam oblato in u-
nâ Ecclesiâ ejus nomini dicatâ ad ip-
sius honorem Missæ Sacrificio. Hacten-
us P. Antonius à Matre Dei.

Itaque concludendum quod quem-
admodum arbor uberrimis magnisq; o-
nusta fructibus ramos curvat & dejicit,
quasi illos offerens carpandos iis qui
volent: ita Sactissimus noster Josephus,
qui ex nominis sui etimologiâ, ut dixi-
mus, est *filius accrescens*, hoc est juxta
phrasim Hebraeam *Arbor*, omnibus
offert colligendos suorum fructus me-
ritorum.

Quare quod Plinius secundus de XXV.
Imperatore Traiano, hoc ego jure lon-
gè meliori de Sanctissimo hoc Viro di-
xerim, *Qui ita magnus est ut ad ejus
facti.*

fastigium nihil addi possit, hic adhuc uno modo crescere potest, quomodo? si se submittat, id est si non sit auferus, sed se affabilem reddat, tractabilem, facilem beneficium. Ita o Sanctissime Christi Pater, Virginis Immaculatæ Sponse castissime, tu ita magnus es, ut ad tuam gloriam nihil addi possit: verum tamen ecce adhuc uno modo crescere potes, & cresces, si te ad miseras nostras, ad preces nostras, ad vota nostra submittas, & porro plusquam ullus cœlitum submittis, ut præter iam allata probant infinita alia beneficia in omnigenere.

XXVII. Atque in his finem dicendi faciens ad te me converto o Joseph! Fili Davidis Regis nobilissime, Virginis intactæ Sponse purissime, Pater Jesu verissime, omnium in vitâ & in morte,

eorum maximè qui te colunt, Patrone potentissime: dixi de te & de summis magnalibus tuis huc usque ut potui, hucque ab aliis dicta congesti, sit benignitatis tuæ consuetæ suscipere hoc officium servitutis meæ.

Quod si (verbis utor Sancti Gregorii Nyseni vitam Sancti Ephrem Syri concludentis,) *Tuâ dignitate o Vir clarissime: multo inferiores sunt nostræ laudationes, te quoque (licet forte audacius hoc dictum videatur) in causâ fuisse dicimus, qui vivens & defunctus, modestiâ, humilitatisq; studio te collaudare cupientes impedit: verum quodcumque illud sit, quantum vulerint vires, pietatis & amoris Officio satisfacimus, teque tam hoc ipsum, quam tui amantissimos, non modo non aversum, verum certò speramus & confidimus admissurum. Amen.*

FINIS.



Gggg

INDEX